GERARDI GORIS, M. D.

MEDICINA CONTEMPTA,

Propter

ΛΟΓΟΜΑΧΙΑΝ vel IGNORANTIAM MEDICORUM.

DISCURSUS BREVIS

Per

Vastissima Utriusque Medicinæ tam Veteris quam Novæ Spatia,

IN QUO

De INTEGERRIMÆ ARTIS VITIIS,

OB

Artificum Indolem & Mores, Vulgique Errores,
obiter & succincte tractatur.

Accedit

APPENDICULA

Observationum & Curationum aliquot
Medicarum.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud ABRAHAMUM DE SWART,
M. DCC.

Fuge Medicum ſcientia plenum & exercitio non probatum : fuge Medicum ebrium : cave Medicum volentem in te experiri qualiter alios ex ſimili morbo curabit.

Cats ex Epiſt. BERNARD. SYLVESTR.



VIRO

Nobilissimo, Amplissimo, Consultissimo, atque publico bono Nato

HUBERTO ROSENBOOM,

DOMINO in SGREVELSREGT, &c.

SUPREMÆ BATAVORUM CURIÆ

PRÆSIDI,

Gravissimo & Honoratissimo,

ACADEMIÆ LUGD. BAT. CURATORI Dignissimo;

CONCIL. ECCLES. INSPECTORI ET MODERATORI Eminentissimo;

Benignitatis Exemplo, Pietatis & Modestiæ Asylo, Probitatis Propugnaculo, Ecclesiæ & Patriæ Atlanti Fortissimo ac nulli facile Secundo, Sapientiæ & Integritatis Cultori ac Fautori Maximo.



Edicinæ dignitas, VIR ILLUSTRISSIME, exindè clarissimè liquet, quod maximi Reges & Monarchæ olim non minorem servandæ vel restituendæ sanitatis, quam belli gerendi, curam habuerunt. In Ægypto Reges omnes erant Medici, & Medicinam cum Militia conjunxerunt; eodemque in Tem-

plo Arma & Medicamenta recondebantur. Cyrus ſibi laudi tribuit, quod ſemper ſtudioſe providerit, ne Medicis urbes deſtituerentur: quia Principis intereſt ſubditos mente & corpore bene valere. Accedit, quod ab uno Medentis ore nonnunquam Regnorum momenta dependeant. Hæc cum probè cognoſcerent Cæſares, edicto juſſerunt, ut primariæ Urbes x Medicos, medioxumæ VII. minimæ V. ex ærario publico alerent; nec immeritò, quoniam unus verus atque dexterrimus Æſculapius, non mortuos quidem ab inferis, uti finxit fabuloſa antiquitas, ſed innumeros, quorum vitæ ſpes conclamata eſt, ab orci faucibus reducere valet.

Divino Oraculo ſancitum eſt, qui de ſemet ipſo loquitur mendax eſt: nube verò teſtium munitum à mendacii ſuſpicione penitus vindicatum fore in

propa-

propatulo eſt. At tot teſtium phalangibus cincta eſt antiquiſſima veriſſima pariter ac utiliſſima Ars Medica, quot homines à Protoplaſtis ad ultimum mortalem aurâ æthereâ veſcentur; tantiſque firmis ſuffulcitur fulcris, quantis priſcis Atlantibus eſt ſuperſtructa, quorum præfulgentia Sydera ſequentem nunquam præceps ſeductorum territabit vorago.

Quod non eodem pede cum plurimis quædam metiri poſſim, nec cum multis hanc antiquiſſimam Veterum Medicinam tam fragili fundamento inniti, ut niſi novis quotidiè ſuffulciretur columnis brevi funditus everſa foret, perſuaſum habeam, non ſolum fateor; ſed & huic ut ut in novaturientium animis altè radicatæ opinioni ex diametro oppoſitam atque contrariam ſententiam, *Priſcam nempe Medicinam præ Novâ firmius fundatam*, veritati magis conſo-

nam esse, in publicum Orbis theatrum proferre neutiquam vereor. Ardua molior, dum tam universaliter hodiè receptæ opinionis efficacem authoritatem, quæ à multis jam annorum centuriis in cæcos venerationis amplexus complures gentes adegit, prosternere conor. Ad hæc illorum molimina, qui omnium difficultatum Medicarum agmen semper acutissimi judicii sui acie domare prætendunt, nec Veterum nodos Gordios leniter rationis manu extricare, sed præcipiti præjudicio sicuti Magni Macedonis gladio discindere, vel ardenti & arroganti rationis (seu potius linguæ quasi flammæ) face comburere, & sic honestis nominibus Rem Publicam Medicam agitare malunt, explodere satago. Tandem hominum fæcem, bardos Agyrtas, suis vivis coloribus adumbrare & histrionibus similibus Medicastris, qui personam repræ-

ſentant quam tamen non ſuſtinent, ſuas larvas detrahere, præterea Errores Populares in apricum producere, pro viribus annitor. Quibus omnibus Colophonis loco aliquantillum actuoſæ Medicinæ partis ſuperaddidi.

Rudem & incultam hanc opellam TIBI VIR AMPLISSIME, Doctorum JUBAR atque bonarum artium FAUTOR POTENTISSIME, conſecrare, TUOQUE NOMINE condecorare volui; ſecurus, quid tentet calumnia, quid moliatur invidia, Herculeo enim TUO clypeo præmunitus virulentorum hominum morſus ſtrenue coercebo. TUUM NOMEN fronti velut ſplendidum præfigere aulæum, glorioſum mihi cenſui. Utinam ſaltem mihi hoc agenti ſermonum unda ſenſuumque flamma ſuppeteret. Aſt alto, NOBILISSIME ac MAGNIFICE DOMINE, ſuffundor rubore, quoties hæc

levi-

levidensia summi TUI judicii aciem subitura cogito, & quod ego parvo & opaco verborum fumo Tantum Splendorem offuscasse censebor. Sed animum erigo, cum recordor, quod & alii quondam salis salsi litatione Thuris carentiam multoties emendarint; alii lacte supplicarint, qui Tauros non habebant; nec ulli fuerit vitio, Divos colere quoquo modo posset. Accipe igitur, VIR ILLUSTRIS, serena exporrectaque fronte hoc ingenii mei munusculum, ad sacratissimas aras Tuas appensum, & me, ejus auctorem, etsi immeritum in Tuorum clientum cœtum admitte, ac sub TUÆ benevolentiæ umbra porrò lætari sine.

Plura vellem, & grandiora, & augustiora: verum quemadmodum illi, qui apud Numen cœleste legationem obeunt Oratores, corpore proni, gestu reverentes, sermone sunt modici, ita prorsus me, utpote meæ tenuitatis conscium, decet TE EXCELLENTISSIMUM VIRUM & augustè venerari, & summoperè colere, atque admirari magis, quam balbutiendo laudare. Nihil igitur superaddam quam pias preces & ampla & candida vota, pro diuturna incolumitate ac felicitate TUA, in Ecclesiæ, Patriæ, Reipublicæ literariæ Commune Bonum. Hæc animitus precatur & ex animo vovet.

Dabam in Musæo tertio decimo Kalendarum Decembris M.DC.XCIX.

VIR EXCELLENTISSIME,

Amplissimo nomini Tuo devotissimus Cliens

GERARDUS GORIS.

PRÆFATIO.

Si vino vendibili non opus ſit ſuſpenſa hedera, multo minus præſtantiſſimæ Medicinæ opus eſt ullo encomio vel commendatione humana; quippe quæ ab Summo Creatore & univerſi Conditore JEHOVAH ad ſalutem hominis è cœlo data, quam & Divinus Samaritanus Salvator noſter profeſſus eſt, quæque infinitis teſtimoniis & elogiis, tam ſacris quam profanis, cæteras omnes ſcientias & artes tam longè antecellit, *quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi.* Medicinam Adamus novit; Conditores funerum Jacobi & Joſephi fecerunt; Moiſes intellexit; hæc Jobo innotuit; nec mortalium ſapientiſſimum Salomonem latuit; huic Sanctus Lucas operam dedit. de hujus magnalibus paſſim Sacroſanctæ literæ teſtantur. Ne multa, hanc ſummo cum ſtudio coluerunt Hebræi, Chaldæi, Aſſyrii, nec Medicæ artis famâ minus celeberrima quam frugum fertiliſſima Ægyptus, in quâ tanto numero olim floruerunt Medici, ut Plutarchus ſcribere non dubitaverit, *omnes Ægyptios Medicos haberi.* Hæc præterea una & ſola Imperantibus imperat; hujus præſidio nondum nati, nondum geniti, egemus, nec ab hominibus è trivio, ſed à Principibus antiquitus tractata eſt. Non abſurde ergo gentiles, naturæ lumine per eorum mentis caliginem radiante, Medicinam artium ut vetuſtiſſimam & cum ipſis pene hominibus natam, ita & utiliſſimam, (teſte Cicerone *liberaliſſimam*, Luciano, *honoratiorem*,) maximèque neceſſariam, DIVINAM vocarunt; cœlitus illam delapſam, & à Diis promulgatam, fabulati ſunt; viventes Medicos ut Deodatos, defunctos pro Divis imo Diis coluere.

Ex quo fonte ſcaturivit Oceanus Apollinum, Æſculapio-

 pio-

piorum, Chironum, Asclepiadum, Trismegistorum, infinitorumque sequentium, quos paganismus divino cultu, templis, monumentis & literis, æternitati consecravit. Sed eheu! quantum est in rebus inane! nihil stabile nec perenne in hoc tractu sublunari; Eclipses namque etiam maximas passa est Medicina; à chamæleonte mutabilioribus sectis scilicet dilacerata, & ab Agyrtis & Bardis defœdata, omnibus despicatui haberi cœpit, donec iterum novum sidus hæc densa nubila dissipans læta quadam catastrophe pristinam ipsi dignitatem & existimationem restauravit. Recidivis his malis ab incunabulis colluctata Medicina, instar miraculi inconcussa, & ne hilum quidem labefactata mansit, quasi palma, adversus onera sua semper altius consurgens, &, licet omni ævo ingentia Medicantium agmina in partes abierint, & singuli pro ingenii modulo distractam & ut volunt à se renovatam tractârint, & exercuerint, nihil detrimenti cœpit, sed ut ex igne aurum, semper magis pura apparuit, primaque lux cælestis denuò è tenebris affulsit, quasi demonstratura, Divinam Artem, non infami Proteo, sed semper sibi similem esse.

Idem enim subjectum & finis Medicinæ, quod fuit in protoplastis, etiam in nobis est, duraturum, usque ad ultimum mortalem.

Quæ etiam urtica ussit manus ante ter mille nongentos & nonaginta duos annos, ea etiamnum hodie urit. Et sicut Noachus victitavit olere, pane, carne vino & aqua, ita & hodie victitamus. Non cessavit ovis gignere ovem; non petuntur alimenta aliunde, quam tempore Semi, Chami & Japheti: & quæ malitia hominum hodie est, ea in Caino incepit & huc usque durat. Ita si conferamus Veterum in Medicina cursum cum nostro seculo idem experimur.

De-

Declament jam ſequentes in præcedentes, in Neoterici Antiquos, rumpant ſibi invicem ilia Novatores, ventilentque obſoleta pro ſuis & novis: (nam ſi unquam noſtro ævo quadrat, *Eſt quoque cunctarum novitas gratiſſima rerum:*) iisdem tamen ut olim nititur Medicina fulcris, Ratione videlicet & Experientiâ. Præterea ut Theoria haud à Praxi, ita hæc à Theoriâ nunquam eſt ſeparanda, ſed ut individui hi comites ſemper pari paſſu ambulent oportet. Porrò uti Veteres in humani corporis ſanitate conſervanda amiſſaque reſtituenda (*in ſanitatis tutelâ, morbis profligandis, nec non vitâ prorogandâ*) ſtrenue, & (multotiens meliori cum ſucceſſu, quam Neoterici) operam navarunt, idem & Novatoribus incumbit.

Antiqua ergo non tam facile, ut vulgo fit, ſunt rejicienda, & quanquam ex recentioribus quidam, magno cum ſupercilio, morborum antiquis incurabilium ſanationem promiſerint, & auſi ſint deludere tritum: *Tollere nodoſam neſcit Medicina Podagram.* Effectus tamen utplurimum votis non reſpondit. Intereà temerarii hi reprehenſores & Theſſali, ex maledicentia, contra artis columina ſibi famam quærunt, novumque ſibi mundum, elementa, morbos, cauſas, remedia, mortes ſtruunt, mox iterum deſtructuri. Nec eorum uni, ſed pluribus ſequens quadrat: *Diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis.* Sed opinionum commenta delebit dies, naturæ judicia confirmabit.

Allatrantem jam offendo Cerberum, quem ineptiſſima bipedum turba, incubante ignorantia, in artis opprobrium excluſit. Infami huic monſtro plumbei Bardi, delirique Blaterones & vagabundi Agyrtæ, triplex caput conſtituunt, quod tot annorum decurſu à tam multis & tantis viris Herculeo licet labore in hunc uſque diem debellari proterique nequiit. Mihi itaque ipſi dicam ſcribe- Cicer, de nat. D. l. I. 2.

 be-

bere non libet. Artis Tyronibus in immenſo Medicinæ Pelago, ſaltem Pharum monſtrare, ut noſcant evitentque Sciolorum Scyllas, Bardorumque Charybdes, fert animus: nam ſimul cum tritico enatam hanc zizaniam eradicare velle non hominis eſſet. Has igitur Chananæorum reliquias, in Medicinæ offenſam & vituperium natas, ſemper vereor ſuperſtites; quia fatuum vulgus idem de his quod de doctis fert judicium, eoſque eodem loco habet. Tutus ab opinionum turbinibus, artisque majeſtatis pyratis, appellet tyro ad veterum Autorum Sacrarium; hos lege, volve, tere, nec de manibus pone, uſquedum in ſuccum vertiſti & ſanguinem; hi fontes adeundi: præſtat enim ex illis potius haurire aquam limpidiſſimam, quam rivulos, graveolenti variarum opinionum cœno turbidiſſimos, conſectari: purius enim ut ajunt, ex ipſo fonte bibuntur aquæ. Illi enim non arenas, aut vana cogitationum, dubitationum, ſuſpicionum, (nec Scepticos imitati, qui dubitabant tantum ut dubitarent & præter incertitudinem ipſam nihil quærebant) ſed marmora materiarum ſumpſerunt; cui fundo qui ſemel anchoram fixit, nunquam fluctuabit, ſed manebit mediis tranquillus in undis.

Morborum auxiliorumque catalogos nectere, (ut mihi primum in votis erat) nec minus eorum Etymologiis, Definitionibus, Cauſis, Prognoſticis, Indicationibus, inhærere, intertextis pariter horum Differentiis, Diviſionibus, Subdiviſionibus &c. legentibus oneri eſſe, ſive formulas vel receptas compilare, (quod omnibus in generali medendi methodo exercitatis facillimum eſt) ſeu Diætæ minutias recenſere, & ſic cramben millies recoctam apponere, nolui. Logodædalorum de lana caprina lites, ex induſtria præterii; rationis enim petulantiam experientiæ fræno coercendam eſſe ſentio. Verum à falſo, bonum

num à malo, legitimum usum ab abusu & errore vindicare, nec ea, quæ accidere possunt, sed quæ revera facta sunt, & quæ adhuc quotidiè fiunt, pro instituti ratione, & qua potui Laconica brevitate, juxta versiculum,

Quicquid præcipies esto brevis, ut citò dicta
Percipiant animi dociles teneantque fideles.

adducere allaboravi; & ut scientia inflatos Λογομάχους, & bardos audacissimosque Agyrtas vivis suis coloribus adumbrarem, & quævis malesana dogmata exploderem, vulgique errores quasi digito monstrarem, in id mentem intendi. Frustra enim Veteres adversus priorum seculorum Thessalos & Paracelsistas pugnarunt, si Neoterici his nostri temporis fumivendulis, & plumbeis, (qui omnia absque artis præceptis ad lubitum indulgent & alterant) inducias concedant; eo magis, quandoquidem illi non sibi tantum errant, sed & aliis erroris causæ atque Autores sunt, permultum ad hoc nostri ævi hominum conditione conferente, quia ingenii quadam cupiditate & lubricitate vulgò majorem fidem adhibent iis quæ non intelligunt, & lubentius nova ardua & subtilia, etsi imaginaria, quam simplicia, quamvis verissima, credunt.

Præterea haud rarò docti multa fingunt magis, quam norunt; ita ut non tam id sensisse quod dixerunt, quam exercere ingenia materiæ difficultate voluisse atque dicendi peritiam sibi ut scopum proposuisse, videantur. O quanta circa non entia est intelligentia! Sic Democritus atomos, Plato ideas, numeros Pythagoras, Aristoteles universalia intelligentiasque, chimæras Poetæ fingebant. Quot quales & quantas absurdissimas opiniones, omni tempore in tanto seculorum

post illos circuitu usque in diem hodiernum, prurientia & lasciva ingenia novitatis ardore non eructarunt? & ut alias præteream scientias, quantopere magni Figuristæ Democriti (seu ejus genii in celeberi Philosopho Picardo redivivi) dogmatibus enutriti honestis nominibus nostram Rempublicam Medicam non agitarunt? Sed ut cum priscis loquar:

Ego odi homines ignava opera & Philosopha sententia.

Deteguntur sat multa fateor cognitu jucunda, subtilitate speciosa, & curiosiorum investigationibus alendis apta, attamen ad feliciorem quam huc usque morborum curationem inepta; nihilominus hæc ex ingenio non ex scientiæ vi ficta, tanquam probatissima multòque verissima, ab eorum à symbolis & speculationibus deditis & sic alienis corniculæ plumis superbientibus, recipiuntur, qui tum grande nefas esse putant, à receptis semel horum nuperorum hominum inventis & somniis vel latum unguem recedere, vel meliora sequi, penitus obliti, omnes fermè artes, præsertim Principem Medicam, prima sua fundamenta à Veteribus hausisse; præterquam quod nullus nostrum unquam de Medicamentorum viribus quam minimum novisset, nisi illi primitus in semet ipsis, vel in aliis, eorum periculum fecissent. Quamobrem etiam primam remediorum originem & cognitionem grata mente ipsis acceptam referimus; proin justum quoque est, paucissimos Novatores sequi autoritatem quorumvis doctissimorum inter Antiquos facem præferentium, & se subjicere correptioni plurium rectè judicantium veritatisque patrocinium spectantium inter Neotericos; ut saltem semper & in omnibus experientia potius consulatur quam ratiocinatio erronea, suadeo. Porrò quod ad cæteras Medicinæ partes attinet, apud

plu-

plurimos optimosque quosvis in confesso est, quod in unico Hippocrate, prælustri illo nostrâ in Arte Pharo, (ut cæteros transeam,) cuncta Medicinæ semina animadvertantur.

Medici parum docti & satis seduli, quas nec à doctrinâ nec ab experientiâ neque ab utriusque Pharmaciæ laboribus habent suppetias, ab humanitate & verborum lenociniis emendicant, & sic proximum officiose occidunt; juxta elegantissimum illud Magni Hugenii.

Maar Menschen moorderp te leeren in haar Bloet/
God troost hem die 't hier lijd / hier namaals die het doet.

Multum quoque, in ulceroso hoc sæculo, Agyrtarum pecus facessit negotii. Obvio sanè cuique Thrasoni magna de sese crepanti, licet imperitus, tabula rasa, nuda cucurbita, ineptissimusque bipes sit, statim creditur; hic magnus Apollo habetur, optimoque cuivis, consilio non vi medicinam facienti, Medico æquiparatur, etiamsi pro salutaribus infida, periculo & exitio plena Medicamenta, dubia quandoque aut certa nece propinet.

Confusionem accumulant iniquissimi nec sacris nec profanis parcentes hujus ævi Censores, qui propria solum adorant, licet sæpissimè manca mutila & inconcinna sint; aliena verò, vel, cum Democrito irrident, vel cum Catone reprehendunt, non videntes manticæ quod à tergo est.

Varium ac mutabile vulgus, instigantibus Novatoribus & Sciolis, in Personatos offensum, ab Agyrtis deceptum, præter Opinionum Heröes, sive famâ Medicos, quosvis alios & universam rem medicam contem-

nit,

nit, omniaque tam unius quam alterius præcepta flocci pendit, & criminatur. Talis ſaltem mihi videtur præſens Medicinæ ſtatus. Paucula de morbis Medicorum opprobrio infamibus, ut & de Tuenda bona Valetudine, attexui, neutiquam præſtantiſſimam Mediciſque ante omnia neceſſariam Auxiliorum Materiam oblitus. Ut enim utriuſque Pharmaciæ fundamentis & præceptis non leviter tinctus & imbutus ſit Medicus oportet; ſecus in rebus Jatricis, & operationibus quam leviſſimis, hærebit, ac in abſurdiſſimos ſeſe præcipitabit errores. Et ſanè quid Medicus eſt, debita remediorum penu deſtitutus? Hinc *Medicina* ab Hieronymo Mercuriali rectè dicitur *ars muta*, cujus tota vis in operationibus ac remediis potius, quam in ſermonibus atque eloquentia, collocetur.

Sed ne ex nigra Zoïlorum gente procax quis mihi meam infacundiam, & tractandæ materiæ dignitatem: & quod hæc noſtra ne tantillum quidem hodiernæ Philoſophiæ ſapiant, ſed prorſus craſſa (ut vocant) Minervâ exarata ſint, exprobret; lubens fateor, me minimè ſermonis mei ſterilis eſſe inſcium, aut quam curta mihi hujus ſuppellex ſit, ſed non indigere puto verborum ornatu veritatem. Neutiquam quoque eo inficias, *quod grandes Materias*, (ut cum Hieronymo loquar) *parva ingenia vix ſuſtineant:* ſed & his ardens veritatis zelus ſubvenit. Adamatam illam, quantum ad Medicinam Practicam, ſpontè ſuis amatoribus miſſam facia Philoſophiam. Si quæ doctioribus peritioribuſque inſulſa vel acriori guſtu apparata videantur, ut ſequenti verſiculo condiant,

Non eadem ſentire bonis de rebus iiſdem
Incolumi liceat ſemper Amicitia;

& mihi ſcriptori tyroni, permulcendi artem necdum cal-

lenti, & qui lubentissime nemini displicerem, ut ignoscant efflagito. Quod si quoque olitor aliquando sit oportuna locutus, forsan & hic aliquis, qui volens non cæcutiat, exiguum subinde sed sibi ipsi ignotum nævulum indicatum inveniet; alioquin scabiei expers scalptore non opus habet. Cæterum hanc pilam mittenti,

Quid facis Oenone? quid arenæ semina mandas?
Non profecturis littora bubus aras.

illam (etsi tritum ad hæc me non lateat proverbium,

Ligna torta haud unquam recta.)

remitto: *In magnis voluisse*, (addo, quantum fieri potest errorum emendationi insudasse, & communem Scriptorum scopum, qui est, aut saltem esse debet, *inservire sibi & proximo post Dei Triunius gloriam*, attigisse, dummodò uni vel alteri hic meus prosit labor) *sat est*.

Tandem L. B. precor, ut hæc, satis incondite, & non pro materiæ dignitate, nec ea qua par est concinnitate copulata & in quadrum redacta, sed pro tenellis viribus exarata, æqui bonique consulas, & si quid humani exciderit, vel per oscitantiam omissum fuerit, ignoscas, in prisco hoc axiomate latenti: Ea quæ novimus minima pars sunt eorum, quæ ignoramus. Doctiores, & quorum experientia industriaque acutius longiusque præ nobis prospexit, ansam sibi datam putent, ut vel his addant deficientia, vel suo consilio nova melioraque conscribant. Interim qui, quo animo hunc laborem insumpserim, dispexerit, facilè cum Flacco

Dabit veniam maculis, quas aut incuria fudit,
Aut humana parum cavit natura.

Sed ne videar verborum quam rerum majorem curam habuisse, vela contraham, & huic Præfatiunculæ imponam finem.

ELENCHUS
CAPITUM.

IN-

INDEX

Obſervationum & Curationum Medicarum.

ME-



MEDICINA CONTEMPTA,

Propter

ΛΟΓΟΜΑΧΙΑΝ vel IGNORANTIAM

MEDICORUM.

CAPUT I.

De Medicis in genere, & quinam veri ſint, & quomodo fiant tales.

Quanquam omnes, qui ſaltem aliquam medendi notitiam præ ſe ferant, lubenter Medici vel Medicæ titulo gaudeant, & conſequenter eodem jure ſed abſurde fere omnes mortales, utpote ſingulos ſuo more aliquatenus medicinæ peritos, hujus nominis & tituli faciant participes; apparet tamen attendentibus, Medici nomen ad Hippocratis Virum probum, ſolertem, ingenioſum, à pueritia arte & natura inſtitutum, laboriſque amantem (nam uſus facit artificem, & fabricando fabri fimus) tantum verè, etſi falſo tamen ad Academia-

rum honoribus & titulis onuſtos (Bullatos vel Gradatos vocant cæterum prædictis qualitatibus omninò vacuos) transferatur, pertinere. Quantô magis aliquis huic Hippocratico ſchemati eſt diſſimilior, tantò minus meretur veri Medici nomen: verus enim & rationalis Medicus eſt, qui præceptis Medicis & obſervationibus, tam alienis quam ſuis, à puero inſtructus, & ſic rationi & experientiæ innixus, morborum medicationes non temere aggreditur, ſed per ſigna diagnoſtica in primis pathognomica in morbi ſpeciem, morem, ſedem, & cauſas, inquirit, præcipueque vires ex læſione functionum arteriarumque pulſu examinat, quibus vacillantibus ſubvenire conatur, præmiſſa cautè de dubiis prognoſi: converſus ad auxilia incumbit, ut cito tutò & jucundè priſtinæ valetudini ægrum reſtituere poſſit, quodque herbis non verbis perficitur, quorum delectui, non alio pretio quam labore parabili, ex tanto numero toto vitæ curriculo inſudare debet. Medicina enim in eam amplitudinem extenditur, ut ad hanc inveniendam multorum ſeculorum decurſu opus fuerit, ad perdiſcendam, quæ jam inventa eſt, vix totius vitæ ſtadium ſufficiat, & teſte Hippocrate, Ars Medica ut citò addiſcatur fieri nequit; propterea, quod in ea firma aliqua doctrina tradi non poteſt. In Theoria enim tota ſeſe aperit Natura, hominum, animalium, plantarum, mineralium; eorumque Anatomia, virium diſquiſitio, morbi, atque ſymptomata, ſigna, diſcrimina, cauſæ, remedia; adeo ut abdita illa omnia rimari, & ingenii acumine emetiri, homine quid majus eſſe videatur. In Praxi, quàm dubiæ ſunt & fallaces morborum notæ, ſive vultum intuearis ægri, ſive oculos obſerves, poſituram, verba, motum, pulſus, ac urinæ diſferentias, morborum criſes &c. Quorum omnium quan-

Hipp. de locis in hom.

ta ſit obſcuritas, experimento ſuo olim didicerunt, & indies adhuc diſcunt quicunque Medicinam profitentur. Tales duntaxat & tanti & in omnibus iſtis præ aliis dexterrimi & experientiſſimi Medici veterem Medicinam rationi innixam uſuque confirmatam colunt. His Æſculapiis non Gallus, ſed tota debetur Hecatombe, atque ſi mortalium ulli his convenit. Homo homini Deus. Sed proh dolor! quam multi ad hunc lapidem examinati adulterini comperientur. Ex centum jam vix unus ut olim Moreſinus ad Scotiæ Regem jure merito, dicere poſſet: *Qui in ſtudiis Philoſophicis Medicis & id genus aliis ætatem, quæ abiit, contriverim: Qui optimos quos habet Europa præceptores audiverim, celebres orbis univerſitates frequentaverim, & quos potui in re literaria ſapientiſſimos adiverim, ut eorum colloquio doctior evaderem.* Sed tanti labores noſtræ ætati non arrident: præcipitantur jam ſtudia non maturantur: plurimi amant domi deſides circa minutias operoſè philoſophari: multi quidem ſcientiarum ambitioſi avari nimirum & otioſi, carbonum nigredinem, forcipumque abhorrentes rubiginem, tractare citharam & panduram quam carbones malunt. Rudis verò & idiota in arte perfunctoriè ruditer & perperam pro ſua craſſa intelligentia agit. Lurconum cohors Bacho quam Apollini litare magis diligit. Sanctæ pecuniæ deditis nec quidquam ſapit quod lucrum non ſapit. Rudes temerariique Agyrtæ omnia deprædantur, doctos & expertes Medicos calumniantur, altercationeſque ſciolorum æquè ac vulgi levitates irrident. Interim hic in cæteris omnibus implacabiliter inter ſeſe arietantium grex, in hoc tamen uno convenit, ut contra omne jus fasque Medici titulum ac nomen in artis artisque labem lugentium vituperium uſurpet, turpemque maculam ſa-

cræ inurat Medicinæ. Probis hæc quidem dolent, quamvis invalida sint, ut hanc constantem evertant veritatem, scilicet quod vir integer, microcosmi fabricam morborumque diagnosin & prognosin probè callens, artisque inveniendi ac ritè usurpandi remedia reparandæ ac restituendæ valetudini amissæ maximè convenientia, summé gnarus, solus duntaxat & meritò Medicus est dicendus atque multis aliis anteponendus. Talis per ligitimam portam Æsculapii Sanctuarium intrat, in quod cæteri omnes, ut fures, irrumpunt. Unicum jam restat indefessis, attamen à recto tramite nonnunquam deviantibus, Philiatris monitum, ne uni rei nimis incumbendo sese ejus reddant Idololatras, & interim ad alia utilioraque discenda præceps occasio, propter hujus vitæ fragilitatem, sese ipsis calvam monstret. Ut sibi caveant, ne specialiter Anatomicis & Chirurgicis minutiis, nec universæ Botanices notitiæ, uti & ingenti utriusque Pharmaciæ apparatui, minus multò Philosophiæ & Astrologiæ mysticis vel Euclydeis datibus, (artes singulatim totum hominem requirentibus) nimis inhæreant: sed potius ex hisce omnibus cæteroquin laudabilissimis studiis tantummodò magis necessaria ad Medicinam feliciter faciendam colligant, atque hoc modo ex formatis & adaptatis ad futuros usus rerum ideis & normis opulentum thesaurum comparent, secus enim facientes, dum ossa frangunt, nucleum perdunt. Ut de quibusdam præstantissimis cætera Philosophis, Botanicis, Chymicis, Anatomicis annotatur. Inter alios dexterrimum pariter & famigeratissimum, ob detectam primum (ut putatur) Sanguinis Circulationem Anatomicum Harvæum praxeos planè ignarum fuisse testatur ejusdem nominis quidam Medicus Regius. Optimè igitur *Aristoteles, non debere in Geometrâ desiderari cognitio-*

tionem alterius disciplinæ quæ aliena est à Geometriâ. Sic pariter à Medico tantum debet exspectari exquisita artis suæ cognitio. Medicinæ enim castra sequentibus est Symbolum: *Non qui multa sed qui utilia scit, sapit.*

Flocci idcircò faciat tyro nugatoriam vulgo in limine ventilatam quæstionem: *Medicina ne scientia vel ars*, hæcque iterum *an liberalis vel mechanica* sit. Nec ipsum moveat, quod à quibusdam *ars, quantum possibile, hominis præsentem Sanitatem conservandi, amissam vero restituendi*; ab aliis *Scientia eorum, quæ in homine naturaliter sunt & fiunt, & eorum quæ præternaturaliter esse aut fieri possunt*; vel *habitus medentis bene ad salutem laborantis*; vel *sanorum ægrorum & neutrorum scientia* &c. vocetur. Sit ipsi perinde, quod hic circa morborum caussas censeat & somniet *obscuris verbis & terminis*, multiplicetque entia præter necessitatem; ille verò *sulphura, sales, fermentationes, Spiritus, & nervos* prædicet continuoque crepet; tertius imaginariam *ex bile & succo pancreatico effervescentiam* glorietur, omniumque in microcosmo phænomenorum basin agnoscat; quartus sibi *unicum morbum scorbutum*, ejusque unicam caussam *acidum viscosum* fingat; quintus *omnia in œconomiâ animali tantum mechanicè & absque ullis fermentis ac intestinis motibus* procedere ostentet; sextus sanitatem humanam saltem duobus cruribus *bile* scilicet *atque liene* niti asserat, ac ut credamus jurejurando in suam animam firmet; tandem quod Picardi Aristotelis hypothesibus nitentes circa *vana de argutè excogitatis figmentis ratiocinia* inter cæteros forsan primas teneant. Grandia & magnifica hæc omnia, tanta quanta videantur, nihil emolumenti ulli ægro unquam contulerunt, sed *apinæ sunt, tricæque & quidquid vilius istis.* Quæ similiaque ejus- Martial. in Epigram.

dem ponderis infinita plura aliquando mecum seriò ruminanti, mentem subiit quoddam Labyrinthi phantasma, in quod Ariadneo filo sponte destituti quasi inter solem & orcum oberrando in investigandis compendiosioribus, quam via regia semitis, sese delassant, donec à præjudicio & opinione quasi ab altero Minotauro devorantur, superstitibus tamen semper umbris quæ præconceptas opiniones perenne & cum Jehu vesanè urgent. Restant jam magis adhuc intricatæ & nugatoriæ quanquam sicci pedis transitu dignæ quæstiunculæ. Scilicet an medicina conjecturalis vel secundum Matheseos regulas demonstrativa sit? An hominum Medicina à veterinaria & quantum differat? Quis Anatomicorum de lana caprina lites componere posset? Quis non â via trita aberraret, si hos Microcosmi Geographos semper in omnibus sequeretur, nec hoc Polo duce suos gressus dirigeret, *propter hominum dicere nihil mutatur*. Dividant jam corpus humanum *in ventres & artus*, in *caput truncum & artus*, in *truncum capitatum & artus*, in *caput thoracem ventrem & vesicam*, in *partes fluidas & solidas*, in *contentas & continentes*, in *continentes contentas & impetum facientes*, id est in vasa in humores & spiritus: porro dispu ent de usu, motu, figura, situ &c. viscerum, humorum, spirituum, musculorum &c. describant hominem instar piscis squammosum vel instar quadrupedis pilosum; considerent conceptum vel adultum, exiguamque utriusque sexus in genitalibus differentiã; dubitent ac doceant quod sanguis non sit ruber nec quod nutriat &c. quid ægris inde commodi? sese autem invicem hisce inanibus nec rem alterantibus verbis cerebella diffringunt. Quis conciliet de conceptus & fœtus nutritionis modo litigantes? sive *proles* fiat *è sociis seminibus* virtute utrinque concurrente, an tantummodò
a Gen. 2. 5. *ex femellæ ovis masculi seminis spiritu fœcundatis*, an *ex solo*

ſolo virili ſeu *ex animalculis* in eo contentis. Pronuntiare hoc, inquiunt, divum Paulum in Actis, non ex duorum ſanguine, ſed ex uno amplificatum fuiſſe genus humanum, & in Epiſt. ad Hebræos, in Abrahami lumbis incluſum fuiſſe Levi. Hic *fœtum per umbilicum* non per os, ille *per os* & non per umbilicum, (quam ſententiam Ariſtoteles Democrito adſcribit, ſcilicet puerum in utero labiis ſugere) alius *per utrumque* nutriri cum exploſione contradicentis argumenti, ratione, experimentis & exemplis, aſſerit. Quidam *tribus*, alii *duabus membranis* eum involvunt. Hi ratione, exemplis, & autoritatibus probare nituntur, *oſſium pubis ab invicem & ilium à ſacro* in partu naturali *diſtractionem*, Pinæi Opuſc. Phyſ. & Anatom. L. II p.m. 126. Negatur ab illis, qui *cranium* fœtus in partu *tantummodo flecti & elongari* poſſe affirmant. A Generationis itaque primordiis noſtra incipit ignorantia, ut tantò clarius pateret humanam ſapientiam in oculis Divini Architecti tantum eſſe meram inſaniam: nam *Jovis omnia plena, miraculis cuncta referta.* Sic meo judicio toto cælo errant, qui magno molimine præciſe *tempus conjunctionis animæ in fœtui* definire conantur. Nec pluris facio quæſtiones, *an Anima ſit ex Traduce, an* vero *à Creatore infundatur? An ab initio omnes animæ uno ſimul tempore ſint creatæ*, & in cœlo quaſi in Gazophylacio quodam aſſerventur, ut data occaſione & tempore ſingulo ſingulam propriam efflagitanti corpori ſua impertiretur? An vero ipſo conceptionis momento creetur & fœtui jungatur, vel potius cum omnia ejus viſcera & membra abſoluta ſint? An fœtus *vivat* in utero *vitam propriam*, an *cum matre communem? An reſpiret?* Et quæ hujuſmodi humanæ petulantiæ plura ſint, quæ acutiſſima ingenia (in hiſce tamen talpis cæciora) miſerè torſerunt, licet

ta-

hæc præter meras chimæras conjecturasque nil detexerint. Quid obsecro infantis in utero materno Plasmate, Nutritione, Stato tempore Enixu, quid, inquam, mirabilius dici vel excogitari possit? Nihil certe. Igitur:

Cuncta puerperio cedant miracula mundi,
Infans quo reserat claustra pudica matris.

Porro veritatis fontem sacrosanctam Scripturam adeat pius & curiosus naturæ indagator, ibique divi tolerantisque Jobi & terricolarum Sapientissimi Salomonis circa mortalium ab eorum ortu ad occasum communia fata audiat oracula Job. x. *verss.* 9. 10. 11. *Memento quæso quod sicut lutum feceris me: & in pulverem reduces me. Nonne sicut lac mulsisti me, & sicut caseum me coagulasti? pelle & carnibus vestiisti me: ossibus & nervis compegisti me &c.* Legat perpendatque Ecclesiastis Cap. XII. vel ultimum, & concludat tum cum versiculo secundo primi capitis, quod nostra de abstrusis scientia mera conjectatio & *Vanitas Vanitatum, universa vanitas & afflictio Spiritus sit.* Ad hæc in hodierna quoque circa morborum causas sententiarum licentiâ ferè amittimus antiquam veritatem, ut nesciat tandem incipiens Practicus, quo principio Pathologico innixus medendi methodum aggredi, vel ad quam causam morbificam oculum reflectere practicum debeat. Itaque qui omnia licita perscrutari & duntaxat bonum conservare, nec mediocritatem auream transilire, nec desidiâ quasi vivi hominis sepulturâ perire, sed pro salute ægrotantium perdius & pernox vigilare velit, rem acu tetigit; omneque insuper in Medicina punctum tulit & legit unus verusque nec φήμῃ solum, sed ἔργῳ id est opere ipso Medicus est habendus; qui si ad hæc bonus, pius,

Etiam Ps. cxxxix. vers. 14. 15. 16.

mini-

minimè callidus aut veterator, ſed apertus & verax ſit, omnibus numeris abſolutiſſimus eſt.

Ad quod faſtigium perfectionis attingere anhelantibus, viam Regiam per Medicinæ procerum ſcripta, judicio & diſcrimine tamen pervolvenda, commendo. Hæc ſanè demorſos ungues ſapiunt. In his preſſa verborum proprietas ſententiarumque conciſa ſubtilitas invenitur. Nam ut denuò cum Excell. Hugenio loquar: *Heden wert'er niets nieuws geſchreven, al dat onſe langwylige ſchrÿvers doen, en is maar d'oude ſpÿſe met nieuwe ſlappe ſauſen te verwarmen.* Et porrò; *wÿ ſullen ons aande oorſpronckl̈ÿke Meeſters houwen.* C.Huijgens dagwerk L. VI. p.m. 412.

Dixi cum judicio, nec inconſulta ratione: erubeſcat enim Iurisperitus ſine lege, Medicus ſine ratione loqui: Hæc cum recta ſit, omnem litem dirimit; è contra hac ſi quis deſtitutus ſit, circa inane punctum rotabitur. Delectu igitur utendum: bona retinenda, mala reprobanda, neque ûnquam præſcriptionibus ac traditis, ſæpe numero rationi & experientiæ apertè reluctantibus, inſiſtendum. Sed quoniam nihil rectè ſinè exemplo docetur, ſequens addam.

Martinus Rulandus, qui ex pleuriticorum hiſtoriis ferè dimidiam ſuarum curationum empiricarum partem conſarcinavit, ideoque ſi ullus alius congruus hujus monſtri domator, toto tamen cælo in curando hoc morbo ab Expertiſſ. L. Riverio differt: ut plurimum enim ſine ulla Phlebotomiâ cum vili linctu, linimento, vel vomitorio, curta ſuppellectili, *auff das alt frenkiſch*, brevi & facillimè pleuritidem ſe curaſſe aſſerit Rulandus. At Riverius poſt ſex ſeptemve V. S*es.* uſque ad coloris in educto ſanguine mutationem more Gallicano *a la mode Francoiſe* intra triduum quatriduumve inſtitutas, atque terribili acie frictionum ligatur. cucurbit. ca- Vid. River. Obſerv. Med. Cent. II. obſerv. 64.

B ta-

taplasm. emuls. foment. liniment. clyster. &c. huic hosti opposita, nihilominus sæpissimè morbo victas dedit manus. En differentiam!

Interea facilè crediderim, Riverium Thrasonem Rulandum, quoad rationalem felicemque praxin, longè superasse. Idem ille Rulandus per suâ sub velatis nominibus Vomitoria & Cathartica, subindè maximo ex. gr. XII. vel XV. Libb. ex una alterave vili herba Apozemate, miracula fecisse videtur, nullisque (ni fallor) saltem internè, usus est hypnoticis. Sed quoniam in suis Observationibus Medicis, tantum de curatis, neutiquam de mortuis vel incurabilibus meminit, meritò suspicor, rudes ejusmodi curationes Rulando crebrò pessime successisse. Nisi forsan quis credat, clementiorem tum temporis aërem, & obsequentiores humores, poros &c. quam hac nostra ætate fuisse. Cum multo igitur judicio indefessaque indagine Autores legendi, atque inter sese conferendi sunt: eoque magis, quoniam infiniti morborum casus cum & sine annexis medicationibus, quibus infarta sunt multa volumina, ceu tot captandæ inanis gloriolæ retia nullum unquam mortalem præter illos fingentis excogitantisque cerebellum afflixerunt. Non decet tamen cum præjudicio nec intentato prævio exactissimoque examine hunc despicere Autorem, alterumque attollere, quia magis vel minus consonet vel dissonet cum nostra sententia; potius cum legitima cautelâ de eorum remediis periculum est faciendum, quam ea intentata damnare, quia reddendæ rationis, quomodo ea operentur, impares simus. Saltem propter nostras cogitationes vel ratiocinia, utut acutissima, rerum essentiæ vel qualitates non mutantur. Qui experientia duce Medicinæ finem assequuntur, semper in praxi feliciores sunt illis, qui imagma-

riis

riis hypothesibus superbum vanæ phantasiæ superstruunt ædificium, postea in sequenti curatione (velit nolit) inhabitandum: Sed non dubito, quin vanitatem hanc mecum exploratam habeant omnes Practici, nec candidam hanc detrectent confessionem, felicissimos qui unquam fuerint vel jam supersint (saltem opinione vulgi) Medicos, dexterrimos fuisse conjectores maximosque empiricos, quorum curta suppellex vulgò consisteret in paucissimis, sed probatissimis remediis: parum enim refert quam multa, sed quam bona sint, quæ præscribuntur. Asserti, si vellem, plurima in nuper mortuis sive adhuc viventibus practicis possem producere exempla: sed quoniam forsan quibusdam displiceret, istis ad opportunius tempus supersedebo.

Hanc ob causam sanè his attributis vacuos vivis coloribus ac alter Apelles eleganter in suis poëmatis Belgicis his versiculis depinxit prædictus præstantiss. & facundissimus C. Hugenius.

'k Sie by raadselen genesen:
Hoe verdouwt het ons gedult?
'k Sie een lever sonder schult,
Voller gallen, vuiler magen,
Dicker milten boeten draagen.

Ne hisce tamen puriputis illis practicis & ferè agyrtis Doctorumque Simiis & absque ratione omnia agentibus. assentiri videar, ut simul ratio consulatur jam & semper inculco, hac enim trutina omnia ponderare haud minimum praxeos fulcrum est.

Quod si forte nihilominus omnia, S. A. rationem & experientiam in morbis tentata non ex votis succedant, conscientiæ satisfecisti, & neque arti neque artifici, sed subjecto laboranti hoc imputandum, & in fatis sic fuit. Omnia enim causas suas naturales ha-

bent, quod Deus procul dubio ita ordinavit, & naturæ indidit, ut cunctis rebus ſuo ordine ad interitum properantibus, nihil omninò conſtans & ſtabile in rerum natura reperiatur, omnia occaſui & morti obnoxia ſint, & ſola æternitas, & Divina ſtabilitas pateſiat. Interea tamen neque animo ipſus cadere, neque ægro ut cadat autor eſſe debet Medicus.

Non extra oleas jam eſſet his concatenare; an Medicus noſter ordinarius & ſuetus melius altero inveſtiget conjectetque noſtrum morbum, & ut dicunt, noſtram naturam noverit? an præſtet annuo ſalario Medicum conducere, ut quædam magnæ ſolent familiæ, vel eum tantum tempore neceſſitatis accerſere? an alteri ſex ſtuferis contento præferendus ſit pro ſingula viſitatione vel conſultatione ducati aurei vel philippici argentei petitor? an utile foret, quod ſexus, ætates, ſingula humani corporis afflicta membra, imò omnes mortalium morbi ſingulatim diſtinctum & ſeparatum haberent Medicum? an ars medica certis legibus & regulis præ artibus aliis definiri neſcia, ea propter cæterarum omnium ſit incertiſſima? quantum diſtet utrum, peccare Medicus nolit aut neſciat? quam lubrico fundamento nitatur eorundem opinio, qui putant quod melius eſſet cum rebus humanis ſi nulli eſſent Medici, quoniam neminem ab interitu vindicent, atque regiones quibus exulant Medici vix morbos noſcant? & quæ ejuſdem farinæ plura ſunt. Quæ omnia ne hic diſcurſus, cum iis quæ adhuc dicenda reſtant, in nimiam molem excreſceret, volens prætereo.

CA-

CAPUT II.

De Opinione & Fama Medicis.

Etsi non diffitear, quod in conjecturis peritissimi plerumque cæteris sint feliciores Medici; tamen non suffragor, quod hoc elogium à vulgò sæpissimè conceditur iis, quos non res ipsa, sed vana opinio tales fecit: nam plebi non judicium: non veritas, ex opinione multa, ex veritate pauca judicat. Quamvis mea nihil referat, an mundus opinionibus regatur opinioque Medicum faciat, si ego saltem hanc falsam confessionem subsignare non cogar. Nihil enim curo, nec qui, nec quot sint qui Medicinam faciant, docti an indocti; perindè enim est ægrotantibus modò quendam nomine tenus Medicum consulant, qui quisnam demum ille sit non curant modo aliquid latinè blaterare, de suaque peritiâ multa jactare sciat, & se Medicinæ Doctorem etiam falsò profiteatur, licet principia Medicinæ ignoret, & Hippocratem cæterorumque Medicinæ Principum scripta nunquam legerit. Si igitur, quorum maximè interest, scilicet ipsi ægrotantes, Medicorum non faciunt delectum, quare id ego curarem? Sed ad rem. Fama & opinione Medici sunt, qui non omine sed nomine, nec spe ac re, sed specie & fraude magni & fortunati Medici nomen apud populum adquisiverunt, ita ut cæteris præferantur, ipsisque quasi universæ civitatis valetudo committatur, (cum hodierno enim mundo ita comparatum est, ut pars maxima mortalium cum multis insanire magis quam cum paucis sapere diligat:) & sanè valde fortunati sunt, qui opes & divitias congerunt ex arte quam probè non intelligunt. Sed tamen infortunati sunt, qui illis

Soran. Eph. Isag. Art. Med. Cap. 14. Hippocrates quoque Art: Medici quidem fama multi, sed opere valde pauci.

Tacit.

illis confidunt ; nam arte non fortuna morbi curantur. Sed quoniam illis proclives hæc credere detrectant, nec incuriâ ipsaque nec cæde peccare possunt, ast & semper excusabile est, simulque pro magno habetur honore per illorum manus interire: hinc nostri heroës diem citius sine nube quam horam sine impedimentis habent. Dum doctiores invisunt pauperum tabernas sine ullo hostimento, & cum paupere Aristotele coguntur ire pedites illi equites sæpe vel lectica vecti superbas pulsant Magnatum fores, probis Medicis sequens Horatianum exprobrando:

Nescis quid valeat nummus, quem præbeat usum,
Panis ematur, olus, vini sextarius.

Vetus, *non sapere qui divitias anteponunt scientiæ*, jam diu obsoletum est. Quibus enim hodiè fortuna vulgi opinionem est elargita, pro diis in terris habentur, & gazophylacium omniscientiæ in tumidis suis præcordiis, quasi in sacra Palladis arce recondunt, nil secus quam mera oracula tanquam ex tripode proferunt: in hoc etiam probis longè feliciores, quod semper sibi propositum finem, fortè sanitatem, semper facultates proximi, assequuntur. Falsi itaque arguunt proverbium; *Qui populari innititur aurâ, domum in luto exstruit:* suas enim ædes in aurea figunt petra, hinc tumiduli (instar illius, qui ornamento honorifico & beneficio elatus, omnes amiserat sensus) & garruli melioribus obganniunt, atque illis sese præferre gestiunt. Nec mirum: fastuoso enim incessu progredi, haustu uno ingentia pocula evacuare, alios præ se contemnere & despicere, seipsos plurimi facere, & magnificè sua deprædicare probè norunt hi fortunati & propter nummos felici aura navigantes moriones, & me hercle tam splendido cultu horum quidam utuntur, tamque magnifice de sese sentiunt, ut haud mi-

nora

nora, quam Ducale nomen, & quinque pilularum scutum, Hippocraticæ gentis Illustrissimæ Medicæorum Familiæ, ambire videantur. (Hæc tamen quam plurimos super omnem invidiam doctos, expertes, laboriosos nec arrogantes, sed comes Medicos, legitimisque mediis celebres practicos non tangunt, quod simul & semel in sequentibus inculcatum volo) In felicem curationem si fortè incidat aliquis opinionum dominus, præprimis ipsi curæ est, ut suum heroicum hoc factum ilicò buccinis per urbem clangatur; statim etiam suo mandato satisfit, quia sic visum erat populo assentienti huic de semet ipso loquenti mendaci: de felicissimis verò simul & frequentissimis aliorum curationibus altum silentium. Levia magni, gravia plus æquo æstimant laudi parandæ, & ut astutia quam scientiâ magis magnatum ac divitum gratiam aucupentur, & in illorum crumenas digitos subtilius injiciant: hinc solent morbos semper graviores dicere, quam revera sint, ut curatio majorem ipsis famam conciliet, aut si mors succedat, etiam eam illos prævidisse notum sit, ægrumque non Medici errore, sed morbi magnitudine victum occubuisse rumor spargatur. Sæpe quoque ad curationem levissimi morbi remedia multa præscribunt inutilia, quasi gravissimus ille foret, cum noxa ægrotantis, cui sæpe melius foret morbum pati, quam remedium. *Les malades imaginaires* qui corpore sano advocant Archigenem, his corvis exoptatissimæ prædæ sunt, apud tales miracula edunt, quia verbis confabulando scilicet, has delicatulas graviter ex imaginatione laborantes feliciter curant. In summâ decantatissimam atque mille artibus acquisitam eorum praxin si cominus inspicias veritatisque trutina pendas, nihil aliud erit, quam impudentia producendi falsas & insulsas rationes alicujus mali quasi veras: temeritas, Juvenal:

præ-

præſcribendi incerta remedia, quaſi infallibilia: vanitas jactandi in proſpero eorum ſucceſſu: & tandem aſtutia excuſandi infauſtos eventus vel falſa Prognoſtica. Quadripartitæ huic baſi innititur ſuperbum opinionis in orbe Medico palatium, cum antiqua & ſimplex Medicina tantum duobus fulcris, experientiæ ac rationi, incumbat. Præterea adeo perverſos etiam invenias, ut, cum videant plurimos ad ſe advolare, quos tamen ut decebat, nequeant tractare, ineptiſſimas nugas præſcribant, ne præda ad alium veniat Medicum, quamvis ſciant non profuturum. Inſtar agyrtarum curtam ſuam remediorum ſuppellectilem memoriæ mandatam, absque ullo jam amplius optimorum autorum inſpectione, in omnibus ſubjectis ſimiliter ferè applicant, & propter eandem hanc cauſam inſuper ab ignaro vulgò pro promptis haberi merentur. Errant quoque, quod fixa & volatilia diſtinguere negligunt, continuoque calidorum & ſpirituoſorum uſu ſanguinis rarefactionem intendunt: nec nimio motu in continuis æſtuantem tam refrænent quam extimulent. Sed hoc illis nil refert, ſi ſaltem ſubito ac pro momento vires refocillare alvumque laxare & narcoſin inducere, poſtea verborum lenociniis ægros blandiri norint: quibus omnibus accedit, quod hæc medentium ſecta nunquam ſit interitura, quoniam alter alterum ſibi ſucceſſorem, cui addictus eſt, adoptat, & per ſuos proxenetas ægrotantibus commendat, ita ut cum ille fatis concedat, ejus Spiritus Sanator cum libera in mortales graſſandi poteſtate, per μετεμψύχωσιν in hujus cerebellum videatur tranſlatus, ipſumque etiam hoc nomine reddat felicem, quod licet aliorum delicta ſol videat, illius ſemper terra tegat.

CA-

CAPUT. III.

De Novatoribus.

Libet mihi, diplomate liberi tranſitus munito, novatorum formidabiles contra antiquos acies cominus intueri. Interim ne in partes ſeducar victoriam ante triumphum canentibus aures obturabo.

Hi exercitus antiquiſſimam ſimul & vaſtiſſimam molem firmiſſimis vallis & propugnaculis munitam obſident, & ex tormentis bellicis ingentibus ignivomis globulis ſeu bombis conquaſſant, paſſim incendia faciunt, ſed fruſtra, nam præter hæc inaneſeſque fragores & ſtrepitus nihil mali inferunt. Incombuſtibilis, & invicta mediis tranquilla in undis manet, & ſicut uni auro ſic hiſce invincibilibus mæniis nil deperit.

Sed ad rem, quis haud novit noſtri ævi in utilibus experimentis doctrinis & inventis fœcunditatem, quam & nobis gratulamur? Sed ſimul quis ignorat, quam multi ſuis ineptiſſimis novis ſeſe delaſſarint, ut antiqua Medicinæ ſacra funditus everterent, & in his ſua tropæa figerent, nova ſæpe ementiti principia cum vocibus novis, quæ nec ipſi quidem intelligant, ita ut quo quis ſibi magis indulgeat, & aliquo opinionis conceptæ figmento victoriæ inhiet, eo ſtudioſius detrahat præcedentium decretis, & ſua ſubſtiture geſtiat. Ignominioſum enim illis videtur cum Veteribus ſentire, ne ingenii æſtimationem perdant, utque ſingulares ſint, atque etiam à Neotericis diſcrepent, monſtra opinionum comminiſcuntur, eaque defendunt, non robore argumentorum veracium, ſed ratiunculis intricatis &

Eccl. cap I. Non Saturatur oculus viſu: nec auris auditu impletur. Quid eſt quod fuit, ipſum quod futurum eſt: quid eſt quod factum eſt, ipſum quod faciendum eſt. Nihil ſub ſole novum, nec valet quisque dicere: ecce hoc recens eſt? jam enim præceſſit in ſeculis, quæ fuerunt ante nos.

ſophiſticis. Quiſque ſuum inventum vel commentum maxima cum oſtentatione publicè deprædicat. Non poteſt appetitus ſibi metam ponere: nam *eſt quoque cunctarum novitas gratiſſima rerum.* Sed experientia non reſpondet, quanquam perſuaſio, & fortuna, calliditaſque ſæpe ad tempus admirationem his novis adferat. Interim cœlum terræ miſcent, & ſpecioſis ſaltem librorum foribus præfixis, titulis tanquam bombis, veteranorum omniumque à ſe diſſentientium dogmatibus, niſi quam citiſſimè reſipiant palinodiamque canant, extremam ruinam minantur: ſed hi prudentiores illa grandia non audiunt, niſi opere impleantur, illoſque parvipendunt, quorum ſcientia tantum eſt ſpeculativa & ultimus finis ſcire. Pauci admodum ſunt qui quærunt commune bonum, plurimi proprium commodum: ubique enim prævalet avaritia & ambitio quorundam literatorum, adeo obſtinatorum, ut ne unguem latum quidem ab opinione præconcepta decedere velint, quamvis vel totus illorum cauſa interiret mundus.

L. XXIX. c. Sed neceſſe eſt, ut hic *Pliniana* de adverſis Medici-
I. LXXVI. c. næ factionibus, quibuſcum ab incunabulis colluctata eſt,
III. inſeram, & quomodo etiam tum temporis peculiaria arrogantiæ & inanis gloriæ mancipia contenderint, ut cuncta p[illegible]entium placita applaudente etiam populo & diſcipulis abolerentur.

Præterita enim præſentium & futurorum ſpeculum. Qui ergo libero nulliſque præjudiciis excæcato animo hæc ſerio perpendit, facile comprehendet, hæc *Plinii*, propter profitentium errores & factiones & in medicinam convitia, etiam noſtris temporibus quadrare.

„ Mirum & indignum protinus, inquit, nullam artium
„ Medicina inconſtantiorem fuiſſe, ſæpiuſque etiam-
„ num immutari contigiſſe, cum ſit fructuoſior nulla.

Infra

Infra omnes artes abjicit medicinam, propter inconſtantiam quam oportet eſſe in fundamento & principiis. Fructus enim durat, & adhuc petitur.

Inſtabilem autem, perpetuoque interpellem fuiſſe hiſtoria convincit. Cum enim in principio eſſet illa,
„ quæ poſtea CLINICE dicebatur Deorum invento aſ-
„ ſcripta, & ab oraculis petita, miraculiſque revoca-
„ torum à morte confirmata, tamen non potuit conſi-
„ ſtere, ſed denſa nocte oppreſſa vix hæſit in Chirur-
„ gicis remediis, donec ex templis deſcriptam Divus
„ Hippocrates inſtauraret. Sed vix ad diſcipulum Pro-
„ dicum pervenit, & mutata eſt in Iatralepticen, quam
„ ſuſtulit Chryſippus & Eraſiſtratus, qui Antiocho re-
„ ge ſanato, relatoque immenſo præmio novam artem
„ comprobavit. Huic ſeſe oppoſuit alia in Siciliâ oborta, C. talentis
„ factio titulo Empiricæ. Utramque damnavit Erophi- donatus eſt
„ lus pulſibus ingenioſè inveſtigandis deditus. Verum à ı ege Pro-
„ & hujus ſtudium brevi eſt deſertum, extititque Aſ- leniæo ſiero
„ clepiades novator, quem Themiſo diſcipulus redar- ejus.
„ guit, huncque viciſſim Antonius Muſa, contraria Me-
„ dicina Auguſtum ſanans. Hic quanquam multos ha-
„ beret ſectatores, tamen repudiatus eſt à Vectio Va-
„ lente homine eloquente, qui novam inſtituit ſ ctam,
„ donec Neronis principatu emergens Theſſalus, qui
„ deletis cunctis majorum placitis, rabie quadam in om-
„ nis ævi Medicos perorando, magna prudentia & in-
„ genio artem invenit novam, & de veteri victa trium-
„ phans ſepulchro ſuo inſcribendum curavit Iatronicen.
„ Victus tamen & hic eſt à Critia Maſſilienſi, qui Me-
„ dicinam geminavit, & ad cæleſtium ſyderum leges
„ accomodavit, ut ægroti ederent biberentque non ni-
„ ſi propitio cœlo.

„ Critiæ decreta abolevit Charmis, qui cum Medicis

,,etiam balnea damnavit, persuadens hybernis algori-,,bus frigida lavari etiam senes Consulares in lacubus ,,ad ostentationem rigentes; Qua de re extat etiam An-,,næi Senecæ stipulatio.

,,Mutatur ars quotidie toties interpellis,&omnes aucu-,,pantur famam aliqua novitate,& animas hominum ideo ,,negotiantur. Decertant & gloria sententiarum, nul-,,lo idem censente, ne assertio videatur alterius &c. Id quod etiam hodie proh dolor! in frequentissimo est inter Medicos usu; hinc vox populi, centum convocati Medici centum dissentientes sententiæ; & si quis consulat diversos Medicos, incredibile est quam longe incertior discedat quam ante consilium. Præterea ut quisque pollet loquacitate, ita statim condit novam sectam, fitque Imperator vitæ nostræ & necis; ut inquirentibus apud varios variarum sectarum Autores describentem *Dolæum* patebit. Quanquam non omnes detexerit, nec potuerit, quia aliqui post sui libri editionem demum in Medicinæ orbem prodierunt, quorum plerique tantum verbis non mente & re variant. Præter Thessalum & Paracelsum majorem nullo seculo habuit Medicina Hippocratica adversarium (cujus libri tamen minuit lectura famam) & qui ipsam versam fundo cupiebat, suam autem receptam, Illo, qui præter innumera alia, communi tamen gentium consensu confutata & redarguta, contra artis fundamenta, scorbutum, unicum inter mortales morbum, cæterorumque omnium radicem, statuebat, hunc ab unica causa *Acido* acredinem, viscositatem, fluidorum motum retardatum, obstructiones, tubulorumque ruptiones exstillantibus interim humoribus, producente, ortum volebat, & perpaucis præcipuè vero salibus volatilibus lernam hanc malorum *Acidum* frænare do-

Retulit mihi nuper quidam Mercator Amstelodamensis, quod exo-cto ejus urbis Principibus Medicis apud, suam uxorem post puerperium, vomitu&atrophiâ laborantem, vocatis, pars frigidis ut ol: Vitrioli pars calidis ut ol: ciaoi: parsadstringentibus, vippa videlicet ex pane tosto vinoque rubello, curationem intenderit, quaque factione alterius sententiam improbante.

domareque moliebatur. Hæc ingenii quadam facilitate ficta, lingua calamoque volubili deprompta, pro tempore ſuos admiratores & ſectatores habuit, receptam Medicinam eamque profitentes criminabatur & accuſabat falſitatis, erroris graviumque criminum, ſuam laudibus in cœlum evehebat. Sed tandem hic ad jurgia pronus, in damnando, facilis in practicis imperitus, & non rarò evidentiſſimorum ſeu inficiator ſeu depravator, vix attacto ſuæ ætatis medio, & poſtquam nil non rumori faciendo tentaſſet, præmatura morte præventus ad plures abiit, clariſſimo ſaltem cum exemplo quod longè vivendi artem, cujus notitiam præ ſe ferebat, & aliis ſua per ſcripta tantopere inculcare ſatagebat, ipſe ignoraverit. Quod *Gellius* de Protagora meo etiam judicio in ipſius ſarcophago eſſet cælandum: *Is tamen Protagoras inſincerus quidem Philoſophus ſed acerrimus Sophiſtarum fuit, quippe diſcipulis pollicebatur, ſe id docere, quanam verborum induſtria cauſa infirmior fieret fortior.* Ex aſſeclis quidam novo more ſcribendi & contradicendi pruritu optimos quoſdam Practicos ridicula cenſurà in lingua vulgari miſerè excarnificarunt, ſe ipſos torquentes ut expertiſſimorum virorum argumenta practica vellicarent, cavillarent, & exploderent: ſed præter logodædala verba in ægrorum commodum nil produxerunt. Succedunt alii laborioſi & perennes transſcriptores literarium orbem libris replentes, ſuaque ſcripta non ad libros ſed ad libras componentes qui, mixtum ex præcedentium dogmatibus cum philoſophiâ corpuſculari & Anglorum doctrinâ de ſalibus ſulphuribus, fermentationibus & nervorum ſuccis, pro ſuis & novis inventis, omnibus commendare ac obtrudere ſatagunt. Omnia in œconomia animali tantum mechanicè & abſque ullis fermentis vel inteſti-

Gelc. Noct. Attic. L. V. c. 3.

nis motibus procedere somniavit nuper alter qui artem sua scientia mensus fuerat. Quod si nuperus ille Graanen lumen illud hujus Athænei & universæ adeo Europæ multorum judicio Medicinæ cultor ac restitutor suam de fermentis & fermentationibus, sensorio materiaque subtili &c. acutam doctrinam à Pitcarnianis fabris crassis mechanicorum instrumentis taliter cerneret dilaceratam, procul dubio maxima emphasi vociferaretur Legislatorem novitatis ac mutationis spiritum non magis in Galliis quam alibi, nec solum in vestibus sed & in cæteris omnibus negotiis & studiis jam suum solium habere. Quis non miseretur intricatum in labyrintho Physiognomiæ complexionum secundum planetas cum specificis remediis ad singulas in statu morboso? nec ridet de herbis, signaturam partium corporis membrorum seu viscerum referentibus, multa confuse garrientem?

Magno applausu successuque (ut dicebatur) olim Medicinam facientem, posteaque docentem vidit Orbis literatus novum Philosophum, fama & fortunâ Medicâ insignem Medicum, (qui quasi vidisset rerum rudimenta ac principia nasci & in unum coire & interea à puero vixisset nil nisi apodixes fundere sibi & suis videtur) cujus principia ab his miris encomiis celebrantur & laudantur & ab illis culpantur qui dexteritatem & mentis aciem autoris capere impares mysticam suam Sophiam non intelligunt. Quoniam plurima (uti volunt) ex *Glaubero*, *Scrodero*, *Zwelfero Sala*, *l'Emery &c.* aliisque excerpta apud suos autores perceptu facillima, tot tantisque particulis fir-
„ mis, fluidis, glabris, flexibilibus, obtusis, oviformi-
„ bus, aqueo terrestribus, solido fluidis-viscosis, ter-
„ raqueis, ramoso-salinis-æthereis, salino-terrestribus,
„ imò

„ imò proteis seu omniformibus involvit; ut hæc „ molecularum ex massulis armatis spiculis concatenatarum miscella, approximatione & manubriatione tantas discontinuantes coördinationes & meteorisandas diversificationes producat, ut arietantia hæc corpora „ divortio & fuga divisissimorum decarceratorum punctorum salinorum ex porosissimâ terrâ magno hiatu „ & ferociori tortura, allisione, collisione, fricatione, „ spirituosissimam corporeitatem cum diaphaneitate „ conjunctam elidunt, & nisi cuneolis inviscarentur, „ mediantibus halituosis viciniis, ab excellentiori prosapiâ in vapescentiam vel vacuum degenerarent. Tantâ grandiloquentiâ & verbis partim chymicorum, partim inquinamentorum proprii cerebelli suam sententiam occultare norunt nuperi autores. Sed hæc verba nec diem nec noctem significantia sparsim sunt sumpta, concatenata jam audienda est sententia: nam sicut vasa cognoscuntur sono ita homines sermone. *Spiritus enim mercurialis existit tam edax, ut omnia metalla imminuat & penetret seu* quod *ut apertius loquar, situs pororum & meatuum in plumbo est talis figuræ, ut materia subtilis eos ingrediens, ibidemque (pro minimo temporis puncto) moram trahens, aliasque particulas solidas evehens, in tantum illius consortio modificetur in sui effluviis, ut aliis corporibus communicata vim suam illis impertire queat sæpius sat violentam.* Sit ne hæc jam obscuri per clariora explicatio vel vice versa, aliis trado dijudicandum. *Pergo: Spirituosa & oleosa menstrua viscosas particulas non quatenus viscidæ & gummosæ sunt extrahunt, sed tantum ratione crassiorum ramosarum particularum Viscosæ componuntur, & quæ poris ramosis convenientes sunt.*

Nomina obscura pronotis & usitatis.

Simili modo passim per vastissimum suum opus philoso-

Autor

losophatur autor, quod inquirentibus patebit, & ab alio indicatum est: plura enim transcribere nec lubet nec licet.

Nova hæc quanquam quibusdam utcunque arrideant plurimis tamen videntur obscurissima & intricatissima: mortalium enim nemo præter hunc scriptorem hanc materiam subtilem, hos atomos, vel particulas, (uti loqui amat) minus multo omniformes earum figuras, quanquam omnibus *Leeuwenhouckianis* microscopiis armatissimus, vidit palpavitque. Solus hic autor eas non solum disse sed & manubus comprehendisse alicubi innuere videtur. Non mirum igitur, quod hæ imaginationis inanes ideæ notionesque ab ipso etiam tam accurate & ad amussim delineantur describunturque, ut circino dimensæ videantur, iis, qui hos cerebellorum fætus & pupæ Matheseos fundamentis æquiparant, nec minus quam S. S. scripturas credunt. Sed ne aliquis cogitet me quodam cavillandi studio hæc ex Viri scriptis allegasse; declaro me honestos actualesque ipsius in artis emolumentum labores summe laudare eique gratulari: magis enim laboris amanti peritoque artifici, quam otioso speculatori tribuo. Quanquam ab altera parte mihi cum plurimis aliis suæ Physicæ terminos nec verba intelligentibus non præjudicio sed sincerâ mente de suâ musteâ chimericaque atomorum philosophiâ propria sua phrasi fatendum sit: *DEDALÆUM OPUS!* ita ut Oedypo sit conjectore opus, qui huic sphyngi interpres sit. An Plinii sigillum, quod olim sequenti circumscriptione, *scripsit ratione blandissimâ, sed qua nihil penè aliud, quam rei difficultas, intelligatur,* suo de Metrodoro Medico testimonio affixit; etiam hisce scriptis non affigi debeat? aliis dijudicandum trado. In tales interim non valde placide invehitur Autor, se-

Opinabile siquidem sine actione inscientiæ & nullius artis indicium est. Hipp. Sect. 1. p. 13. L. de decent. Hab.

ſequentemque (præcedentis effati immemor, *Sectæ alicui Philoſophicæ cœcâ obedientiâ adhærere, cum recta ratione eſt inſanire,*) ipſis fert ſententiam: *pro rhetore vel agyrta habendus eſt deſtitutus corpuſculari; (id eſt ſua) phyſicâ.* De Socrate annotatur, quod lecto quodam Heraclidis libro, de illo ſuam ſententiam interroganti reſponderit, *excellentiſſimum ſe quod perceperat comperiſſe, idcircò* inferebat, *idem illud quod non bene intellexiſſet, ſplendidioribus adhuc dignum eſſe encomiis.* Cujus præmiſſæ libenter ſubſcribo, conſequentiæ vel concluſioni tamen ſi non aſſentior, ut mihi ignoſcat Clariſſ. Autor, humanè oro rogoque.

Pandant tandem fores, qui opinionem abhinc centum annis obliteratam, poſt ab Helmontio ſub placaminis Archei, & ſublationis producti ab ipſo ſeminis morbifici, titulo recuſam, de Medicinâ non corpori ſed ſpiritibus faciendâ, nuper renovarunt, quaſi in ſolis ſpiritibus omnis ſanationis ratio & ſpes eſſet, quibus ſanandis roborandis & reſtaurandis unicè Medicus incumberet. Novator, qui hæc ſomnia & ſophiſmata in fine præcedentis ſeculi per Germaniam propagabat, citabat Ariſtotelem in. 7. *lib.* Metaph ubi dicit; *quod ex ſanitate animæ fiat ſanitas in corpore*, & hinc concludebat, quod quævis Medicina ſpiritum vitæ ſanans, ſanaret etiam totum corpus; quod longè falſiſſimum argumentum ſic invertimus: Si ex ſanitate animæ non fiat ſanitas in corpore, ergo nec remedium ſpiritum vitæ ſanans ſanabit corpus: at verum antecedens, (quia in morbis tale medicamentum quærendum eſt, quod viſcera & officinas ab intemperie dejectas & facultates læſas &c. reſtituat roboretque, ut poſtea vegetiſſimorum ſpirituum copia non ex medicinâ ſed nutrimento bono excitari queat) ergo & conſequens. Iactabat etiam Medica-

menta proportione ſpiritibus conformia: ſed evanuit in fumos cum ſua doctrina fumivendulus. Nam

Stat ſua cuique dies; breve & irreparabile tempus
Omnibus eſt vitæ: ſed famam extendere factis
Hoc Virtutis opus.

Sed pergendum eſt cum Plinio: quid eſt, quod, „ait, millia gentium degere ſine Medicis, at non ſine „Medicina, ſicut populus Romanus ultra 600ſimum annum, niſi quod ars illa, quam veterem profitentur, inanibus verborum nugis & dogmatibus fictis „conſtet, interim Medicina vera & naturalis hærente „inter alios. Potiſſima materia medica olim in mineralibus & vegetabilibus fuit: utraque neglecta & ignota fuiſſe Medicis idem Plinius refert. Omnia hæc, „inquit L. XXXIV. Cap. XI. de medicamentis ex ære loquens, ignorant Medici: pars major & nomina. In „tantum à conficiendis his medicaminibus abſunt, quod „eſſe proprium Medicinæ ſolebat. Nunc quoties incidere in libellos, componere ex his volentes aliqua, „hoc eſt impendio miſerorum experiri commentaria, „credunt Seplaſiæ ea omnia fraudibus corrumpenti, „factaque jam pridem emplaſtra, & colliria mercantur, tabeſque mercium. Fraus Seplaſiæ ſic exteritur. Hæc ille, quibus tam exacte depingit multos hodiernos Medicos, ex commentariis nautas, ut nihil ſupra. De re Herbaria verò partim ignorata Medicis, partim depravata, ſic ille ipſe præclarè: „Herophilo licet ſubtilioris ſectæ conditori ante „omnes celebrata ratio eſt (hinc Medicina logica, „quæ rationibus argutis conſtabat) paulatim uſu effi-

Deimperitia Medicorum

Lib. XXVI. c. 2.

„ efficacissimo omnium rerum Magistro obliterato, & in-„ tærea Medicina ad verba garrulitatemque descen-„ dente.

„ Sedere namque in his scholis auditioni occupatum, „ gratius erat, quam ire per solitudines & quærere her-„ bas alias aliis diebus anni. Et alibi. Hinc (ex no-„ titia herbarum) nata Medicina. Hæc sola naturæ pla-„ cuerat esse remedia parata vulgo, inventu facilia, Lib. XXIV. c. I. „ ac sine impendio ex quibus vivimus. Postea fraudes „ hominum, & ingeniorum capturæ officinas invenere „ istas, in quibus sua cuique homini venalis promittitur „ vita. Statim compositiones, & mixturæ inexplica-„ biles decantantur. Arabia atque India in medio æsti-„ mantur, hulcerique parvo Medicina à rubro mari im-„ portatur, cum remedia vera pauperrimus quisque cæ-„ net. Nam si ex horto aut petatur herba, aut frutex „ quæratur, nulla artium utilior fiet. Theriacam vo-„ cat excogitatam luxuriæ compositionem, quæ fiat ex Lib. XXIX. c. I. „ rebus externis, cum tot remedia dederit natura, quæ „ singula sufficerent. Mithridatium antidotum ex re-„ bus LIV. componitur, interim nullo pondere æquali, „ & quarundam rerum sexagesima unius denarii impera-„ ta. Huc usque Plinius. Et mehercle! (ut cætera trans-eam), quis nescit herbarum inter Medicos negligentiam? multis eam rem ad aniculas & ad rusticos deferentibus, & ne agnoscentibus quidem herbam, quam scripserunt porrectam à pharmacopœo: aliis planè contemnentibus communia & longo usu probatissima remedia, & duntaxat ex libris Novitiorum quorundam scriptorum describentibus Recepras: aliis à tonsoribus agyrtis & vetulis acceptas formulas *Nostras* & *Arcana* vocantibus, quæ lerna fœcundissima est. Interim non adeuntur horti & prata, negliguntur furni & mortaria, rubiginemque

que contrahit culter anatomicus. Per triennium vel quadriennium enim interdum in ſubſelliis ſediſſe & auſcultaſſe docentes Profeſſores, nunc ſatis eſt ad impetrandam poteſtatem in vitas neceſque hominum. His ſeſe Medicos profitentibus ſtatim creditur, cum ſit periculum in nullo mendacio majus. Medicos tali origine factos, quis pro veris habeat? Diſcunt hi alienis periculis, & experimenta per mortes agunt. Cum enim nil niſi libros & quidem ſatis parce & negligenter tractarint, vixque hiſcere ſine vapulante Priſciano tria verba ſermonis latini norint, & tamen ad opus accedendum ſit, planè ignotis rebus fatigant naturam, neſcii vitam an mortem procurent, donec eventus id docuerit. Inde illud, *Novus Medicus novum cœmiterium*, in eorum opprobrium prodiit proverbium, & cum occiſus quis medicamento eſt, intemperantia fatumque arguuntur. In ipſa curandi methodo multò incertiſſimi & dubii, nunc hoc nunc illud imperant, ipſa ignorantià ignorantiores, contrarium pro convenienti medicamentis inſerunt. Lucri tamen cauſa ſeſe ad depravatum vulgi judicium & cupiditatem accommodantes, mirabilia, nova, inaudita comminiſcuntur & ogganniunt expertis. Quanquam tantum inania fundant verba, & funiculos ex arena nectant. Sed noviſſimi homines in hac mundi ſenectâ, quaſi Athenienſes redivivi, tam avidè novis inhiant, antiqua faſtidiunt & tam negligenter Veterum ſcripta habent, ut quam facillimè à verſutioribus decipiantur qui quam vetuſtiſſima & tempore obliterata ſed jam novis faſciis involuta, his nil niſi novum volentibus probè obtrudere callent atque ita decipi amantem mundum rident. Ego ipſe olim multa pro novis habui & admiratus ſum, quæ poſtea ſedulâ inquîſitione comperi ex veteribus excerpta, & levi mutatione ad modulum ingenii do-

Horum opera attente perlegentibus ilicò apparebit, eandem crambem iterum atque iterum recoctam eſſe.

docentis polita, quædam etiam planè ficta. In quo circa theoriam, morbos non ſanantem, ſuis autoribus aliquatenus poſſet ignoſci, ſi praxin ſaltem intactam relinquerent: ſed neque hæc à tam ſacrilegis tuta manere potuit manibus. Nam ut de Amato Luſitano annotavit Crato, *illum plura conficta quam facta ſcripſiſſe & interdum opiniones ſuas iſto modo confirmare voluiſſe;* ſic Diemerbroekius de Zacuto ejus populari ſequens tenuiſſimum dicit teſtimonium: *Verum cum Zacutus fuerit homo multæ quidem lectionis, ſed interim ſupra modum glorioſus, quantum ex ejus ſcriptis, & præcipuè ex praxi admiranda, colligo, aliorum plurimorum Medicorum obſervationes ſibi adſcripſit, & ut ſpeciem aliquam veritatis haberent, caſum alicujus ægri affinxit, qui æger vel nunquam in rerum natura extitit, vel in pago aliove abſtruſo loco, nunquam invento, nec unquam inveniendo, vixit; imò multis in locis, ut aliquid gloriolæ ſibi conquirat, tam ſplendidè veritati parcit, ut vel cæcus videat plurimas ejus Obſervationes ab omni veritate alienas eſſe.* Similia adhuc hodiè ab ejusdem farinæ ſociolis interdum fieri, multo certiſſimum eſt. Morborum enim caſus novi & inauditi excogitantur, finguntur, ærique inciduntur, hinc tabulæ & figuræ, hodiernus librorum ornatus; & quæ omnia tamen præter mera commenta & ludibria nil habent. Quis jam attento hæc volvens animo non dolet paſſim à tyronibus neglectam antiquorum autorum lectionem, videtque ſimul, hanc cauſam eſſe horum malorum. Ardua proficua ſpernunt, quia laborioſa, commenta inutilia diligunt, quia facilia & ibi hæret aqua: novitios quoſdam ſcriptores aliquando vix lectione dignos, quia compendioſos (ſed potius diſpendioſos)

sectantur, Veterumque utilissima scripta, quia improbo labore (quem recusant) pervolvenda, fugiunt; vel forsan horrent quidam Proverbium *Desipit qui nimium sapit*; nec audire volunt, *quod sint ardua quae pulchra.* At hæc faciamus missa.

In Veterum Scriptis multa sunt recondita, quæ hodie pro novis venditantur.

Miris encomiis millies repetitam cantilenam, de hujus seculi in novis inventis & experimentis fœcunditate cum aliis receperam, & nostra hæc tempora priscis longè prætuleram, dubia tamen semper cum ruminatione. Donec inventa plurimorum pro novis devulgatorum genesi apud antiquos, præjudiciis eluctatus, illis debitum honorem non detrectavi. Sed ne hæc gratis asseruisse videar, exempla, quæ vulgo magis quam verba docent, in apricum producam.

Quis *Hippocratem de sanguinis nostri periodis* loquentem, *Cor oceanum, & arterias rivos fluminaque vocantem, fluxum refluxumque sanguinis circulo comparantem* audiens, concludere renuet, sanguinis Circulationem ipsi & sequacibus fuisse cognitam. Ut *radicatio venarum hepar, arteriarum cor, ex his aberrant in omnia, sanguis & spiritus & calor per hæc meat. Vis una & non una, qua omnia hæc alia gubernantur.* Idem de Off. Nat. Sect. III. pag. m. 277. in Fol. *Venæ per corpus diffusæ spiritus fluxionem & motum exhibent, ab una multas propagines emittentes. Atque hæc una unde exordium sumat & ubi desinat, non satis mihi compertum habeo; circulo enim facto, principium non invenias.* Sect. III. de Natura hominis pagina 223. in Fol. *Quod venæ arteriæque sibi mutuò sanguinem subministrent, internæ externis, vicissim externæ internis &c.* dicit breviloquus veraxque Senex. Porro libro de Virginum Morbis passim *de fluxu refluxuque sanguinis* loquitur. De fluxu menstruo: *Sanguis nunc ha-*

pag. 569. VII. 7.

121. II. 6 & sane sanguinis fons est cor &c.

p. 356 II.

Porrò de Victus Ratione L. I.

habens effluxum præ multitudine resilit ad cor &c. & paulo infra: *donec sanguis ad seipsum revertatur. Revertitur autem celerrimè. Cito enim propter venarum rectitudinem refluit.* Item Libro de corde, de aorta & venacavaloquens,dicit: *Hi fontes sunt humanæ naturæ & hic flumina sunt, quibus totum corpus irrigatur: atqui hi etiam vitam homini conferunt, & ubi resiccati fuerint, homo moritur.* Verissima igitur omniumque Medicorum suffragiis digna sunt sequentia Horniana in Elogio I. A. V. D. Linde: *Restituisti divino Seni circuitum sanguinis, quem incuriosa Veterum hæc ætas, proh stupor! aliis adscripserat.* Et paulo inferius! *repererant margaritam infimeto ignari à quo recondita fuisset, & quid hoc ad illos novos Herostratos?* Hunc Sanguinis progressivum in circulum motum etiam Andreas Cæsalpinus & Cæsar Arantius longè ante Harvæi tempora agnoverunt: tandem Harvæus experimentis necessariis & rationibus de novo excogitatis hanc doctrinam fulcivit & excoluit.

ubi de humorum in circulum motu.

p. 291. v.

Vid. etiam Aristot Lib. de Somno Cap. 3.

Diogenes Apollonita apud Arist. Lib. III. Hist. animæ cap. 2.

Plato in Timæo.

Arantius Cæsalpin. Cap. XIX. Lib. VI. de constitutione cordis

Corpus nostrum perspirabile, id est porosum esse, infinitisque humoribus refertum, Idem statuit Hippocrates. Ejus *putrefactio in vasis intemperies calor ignis* &c. cum sublato æquilibrio particularum sanguinem &c. componentium, cum sanguinis depravata in corde effervescentiâ vel si mavis mixtura turbata; *Atomi* cum physica corpusculari; *Aer & ignis*, cum æthere, fermentis, effervescentiis; *Facultates naturales*, cum motu & pressione; *Calidum innatum*, cum influente; *Coctio*, cum fermentatione. *Bilis flava*, cum sale; *Atra*, cum crasso corrosivo; *Pituita*, cum sero coagulato; *Melancholia*, cum materia terrestri; similiaque infinita, facillimo sane negotio, conciliari possunt. Pariter in praxi parum refert, an

Sect. 1. p. m. 13.

Hipp. in Epidem 18. Gæ. Meth 1. 7 Crit. 7. 3. Præf. 5. 9. Meth. 14. 2 Meth. 7. 4. in 6. Epidem. 291. acut. 18. 1. Aphor. 16. 1. in. 6.

catarrhi tantum ſunt dicendi, ubi ſiſtantur, & non ubi fluant? An *Sanguificatio ab Hepate*, vel Corde procedat? *An icterum nigrum*, Scorbutum, *Calida*, ſale volatili referta, *Frigida*, acido fixo & terreſtri abundantia vel motu inteſtino privata, *Maligna*, corroſiva, *Corroborare*, reſerare, vocitent. Neque quod quibusdam *Naturæ*, *Repletionis & Inanitionis*, *Sympathiæ* vel *Idiopathiæ* &c. voces, metum incutiant. Non tantum etiam Hippocratis plaga à noſtra differt, quin ejus *anni tempeſtatum obſervationes* circa morbos eorumque cauſas, fomites, ſymptomata, & periodos, etiamnum noſtris epidemicis vel ſporadicis adamuſſim conveniant. Quid multa? quod de quatuor *temperamentis totidemque humoribus, facultatibus, ſenſibus, intemperiebus, occultis qualitatibus, de generatione hominis, calculi & vermium, ſpiritibus, flatibus, ventis, vaporibus, omnigeniſque morbis eorumque Symptomatibus cauſis & ſignis, & præcipuè de febribus & peſte, inflammationibus catarrhis, de ſex rebus non naturalibus, medicamentorum qualitatibus eorumque formis, porrò indicationibus, præſervatoriis, & curatoriis*, & mille aliis, ad naturalem præternaturalemque hominis ſtatum pertinentibus, Veteres Græci Arabeſque &c. docuerunt, magis nomine quam re, uſu & utilitate, ab hodiernis differt novis. Quod ſedulo antiquorum ſcripta pervolventi facilè apparebit, quanquam primo intuitu a verſutis novatoribus larvata antiquitas multis videatur nova & exotica. Sed propter noſtrum dicere, uti recte Ariſtoteles, nihil mutatur.

Luis venereæ quoque cum comitatu hiſtoriam, ſub elephantiaſis, choleræ nigræ, alopeciæ, lichenis, pudendagræ, mentagræ, & ſyphilidis velo, ab Hippocrate, Galeno, Plinio, Suetonio, Celſo, multiſque ſequentibus,

tibus, longè ante per Hispanos detectam Americam, in genere depictam, sedulis autorum scrutatoribus abundè patet; quorum aliquot testimonia hic adferam; inferentibus horum quædam æquivoca esse, simul respondendo, quod quanquam hoc de uno alteroque verum sit, omnia tamen simul collata contrarium lucidè probent. Sic *Hippocrates pag.* 671. *sect.* IX. *art.* I. *ad pudendi ulcera pharmacum.* 408. XCV. I. 404. LXXX I. *Prægnantis pudenda exulcerata.* 873. X. 5. *pudendorum verrucis auferentia.* 404. LXXVII. *pudendi ulcera.* 401. L. XI. 7. *pudendi ulcera & pruritus.* 535. II. 10. *capitis dolor cum sedis & pudendorum dolore torporem & impotentiam inducit vocemque exolvit.* 257. XVII. *Carnes præ dolore vibrantur ac palpitant & testes contrahuntur & in sedem & vesicam calor quidam ac dolor irruit & mingit crassa & ex capite defluunt capilli &c. De morbis popular.* L. VI. 797. 5. *Quibuscunque os de palato decessit, his medius considet nasus. s. V.* 583. *si pudenda superficiario ulcere laborent.* Similiaque plura passim per ejus opera sunt sparsa. Vide etiam quid Proverb. V. II. Salomon velit, ubi de vitanda meretrice: *& rugias in novissimis, quandò consumseris corpus carnesque tuas.* Ad hæc quia genitalis laticis effluvium absque prævio contagio rarissimè accidit, non absurdum foret argumentum Cap. XV. in Levitico de gonorrhœâ virulenta interpretari. Sequitur Plinii Secundi memorabile fidelissimæ uxoris exemplum. Hæc cum jam detexerat sui jam dudum languentis mariti genitalia incurabiliter exulcerata, suadet exhortaturque eum, ut prompta morte, ipsa comite, sese hisce miseriis eximat; itaque alligatis invicem corporibus, prosilierunt ex villæ (prope mare sitæ) fenestrâ in pelagum. *Porro Lib.* XXVIII. *Cap.* 15. *de verendorum carbunculis, & vi-* Lib. XXI. cap. 18.

tiis serpentibus cum manantibus ulceribus; de testium tumoribus; sedis vitiis & inguinibus ex hulcerum causa intumescentibus meminit; & Lib. XXVI. *Cap.* 15. *de exulceratæ vulvæ doloribus* & vitiis: & ejusdem *Libri Cap.* 1. *lichenas vel mentagram tanta fœditate, ut quæcunque mors præferenda esset*, depingit: & paulo inferius, *nascitur in occultissimis corporum partibus.*

L. XXII. c. 8.

Addo Alphonsum Ferri Medicum Neapolitanum, ita scribentem: *In genere quanquam non in specie de morbo Gallico inter Veteres scripserunt Celsus de Elephantiasi; Suetonius de vita Cæsarum; Hipp. tertiâ particulâ aphorismorum; Galenus de cholera nigra; Ioannes Alexandrinus commentator secundo Epidemiarum de Festo, qui se interfecit.* Claudunt tandem rivos Salicetus, Gordonius Tarenta, pluresque alii, qui longe ante (hujus monstri natalibus infamem) obsidionem Neapolitanam, per Carolum Octavum vixerunt, & de fœdâ hac lue scripserunt. Nihil igitur me movet, quod *Hieronymus Fracastorius de Syphilide seu Morbo Gallico canit:*

. . . . quoniam longæva vetustas
Cuncta situ involvens, & res, & nomina delet:
Nec monumenta patrum seri videre nepotes.
Oceano tamen in magno sub sole cadente,
Qua misera inventum nuper gens incolit orbem,
Passim oritur, nullisque locis non cognita vulgo est.

Contrarium enim N. Leonicenus sequentibus asserit verbis: *Quanquam Plinius testatur lichenas ante Claudii principatum non visas incognitasque lib.* XXVI. *multis annis tamen antea Græciæ familiares fuerunt, sic Venerea Lues nomine quidem incognita revera sub aliis morbis latuit.* Prætereo, brevitati studens, infinita nostratium peregrinantium testimonia, omnes ad unum in hoc consona,

ſona, quod Venerea Lues Americanis, non magis quam Europeis, ſit endemia, quodque potius credibile ſit, primos detectores inſontibus Indis, quam illos Hiſpanis, luculenta hæc munera donaſſe. Plin. S L. XXV. c. 3.

Stomacacis & *Scelotyrbis* vetus apud Plinium pictura, à nova famoſiſſimi Scorbuti tantum in hoc unico differt, quod propter commodum grata hæc vox jam in craſſiſſimæ ignorantiæ aſylum evaſit: quoniam maxima Medentium, præcipuè mendaciſſima Uromantum turba, in ferenda de morbis ſententia bardam ſuam imperitiam inſontis Scorbuti nomine velat, ita ut ſagaciſſimi hi artifices, novaturiendi quodam appetitu, Veterum *Blauſchuyt*, ſingulari quadam dexteritate, jam in ſuum mutaverint *Blau excuis*.

Non tanta igitur intercedit differentia inter Veterum & Neotericorum doctrinam, quam quidem vulgo clamatur.

De morborum etiam eventu & curatione non eſt quod multum ſuper illos gloriemur; fueruntque, ſunt, & forſan poſt mille annos erunt, in *Conjecturis peritiſſimi* cæteris feliciores Medici. Argumenti veritas liquet, (ut infinitas ſimiles ejuſdem Autoris aliorumque Practicorum prætereaam morborum hiſtoriolas) in hac Clariſſ. pariter ac feliciſſimi Practici Riverii medicatione; videlicet: cum ad ventriculi dolores primo cruſtam panis aſſatam & in vino calente madefactam ac pulvere cariophillorum nuciſque moſchatæ conſperſam, ventriculo apponit: ſed poſtquam perceperat ab hoc remedio auctum malum, mox proram vertit, atque ab uno extremo ad aliud, ex igne in aquam tranſilit: *Juſſi*, inquit, *ut linteum quadruplicatum in oxycrato maceratum ventriculo frigidè admoveretur, eoque admoto, ceſſavit ilicò dolor ventriculi.* Sententiam hanc meam nihilominus, ſi quiſquam alius adhuc refellere ſibi imaginetur

Inſigne conjecturæ exemplum.

River. Obſerv Med. pag. 121. centur. II.

producendo, primo hodiernam novam Philosophiam; secundo remedia Chemica, tertiò detectiones cultro Anatomico, demonstrationibus Mathematicis, antliâ, pneumaticâ, microscopiis &c. postea factas; quartò mitiora ex novo & Veteribus incognito orbe ad nos allata remedia; quinto quod omne artificium ex frequenti exercitatione, suscipiat incrementum. Respondeo ad primum; Philosophiâ (quamvis titulo Medicorum catechismi clara) tam novâ, quam veteri, nunquam morbos curatos: herbis enim non nudis verbis, argutiis vel eloquentiâ, ut recte Celsus, miseri sanantur. Super terræ penetralibus evulsa, & ex animalium plantarumque ditissimo penu deprompta, non spernenda, incubante Vulcano, & obstetricante artista, enituntur medicamenta, quibus debitam laudem nemo sapiens unquam detrectabit, duo enim vincula magis ligant, Galenica Chymicis juncta optima præstant morbis remedia: sed graviter molesteque fero, quod aliqui huic arti nimium incumbentes, ejus in tantum fiunt idololatræ, ut statuant, Chymicis præsentibus vel absentibus morbos curabiles vel incurabiles esse. Hinc plusquam Thrasonicè jactant, Chymica remedia in omnibus morborum generibus, Galenico gregi incurabilibus, semper curare, nec hisce morbifugis ullos morbos incurabiles. Quanta verba! sed falluntur & fallunt hi fumibuccones & venduli, simulque probant; quod *conveniant rebus nomina sæpe suis*. Contrarium vero quotidie experiuntur Practici, quia non edunt tanta miracula, quanta de illis perhibentur, & licet hic illicve prosperè cesserit aliqua per Chymicalia curatio, tantum tamen unum atque alterum exemplum non valet, ut pariter de omnibus sit statuendum. Quibus accedit, quod non pauca simplicia chymicis laboribus, sub correctionis prærextu,

textu, corrumpantur, depraventur, imo planè destruantur, ita ut vel omninò inutilia sint, vel saltem minus intentioni Medentis satisfaciant quam antea: *multa enim à corrosivis spiritibus ceu igne destruuntur, nec omnia in igne seu aquis corrosivis emendantur, sed potius major pars corrumpitur. Glauber. Furn. Philos. p.11.pag. 14. Sæpe res optimæ ex ignorantiâ potius corrumpuntur quam emendantur. Idem pag.* 19. Hisce qui fidem renuit, examinet destructos per aquas corrosivas pretiosos lapides, Magisteriorum titulo superbientes; corruptos fragrantissimos flores, aromata &c. rarissimæ texturæ, per corrosivum Tartari salem, Elixirium & Tincturarum tum nomine venientes; depravatos Rhei, Jalappæ &c. radices, ægris alias suis Extractis & Resinis magis proficuas. Gustet artis indagator Aquas Distillatas vulgo Simplices ex frigidis acidis vel austeris herbis, & statim declarabit, eas Decoctis ex iisdem herbis multo inferiores. Sed Novatores ut hanc jacturam non solummodo reparent, ast has aquas magis nobilitarent (ut eorum more loquar,) addunt salem marinum, nitrum, alumen, vitriolum, tartarum &c. quæ partim nil prosunt, quia ex iis per alembicum nil transit, partim fœtido suo sulphure & oleo aquas corrumpunt: quanquam & hæc quoque ante 50. annos à Glaubero conscripta ab transcriptoribus novitatis specie instar pilularum deauratarum adornentur. Observatur præterea quorundam simpliciorum in substantiâ mirabilis effectus, quem in Tincturas, Olea, Sales &c. resoluta recusant: ut K. Kinæ, Opium, Cortic: Arant: Liquerit: &c. aliaque multa, sedulis materiæ medicæ indagatoribus cognita.

Rectius etiam quædam vino, aliquando etiam aquâ simplici extrahuntur, quam passim commendatissimo vini Spiritu: aqua etenim cum simplex sit liquor, omnis-

que alienæ qualitatis expers, præ omnibus aliis liquoribus, purgantium in ea maceratorum vim melius prolicit. Ex quibus liquet, quod qui consueverunt puritatem, splendorem, & subtilitatem extrinsecam medicamentorum venari, eorum vires interdum perdant & pervertant. Prædictorum plurima possent proferri exempla, sed diutius hanc camarinam movere supersedebo. Quoad tertium eminus adspectum, è culice elephantem pollicetur, qui inspectione cominus facta iterum evanescit. Quid enim ex quisquiliis & altercationibus Anatomicorum, Euclideis datis, milleque Microscopii minutiis & commentis, in ægrorum commodum & levamen cessit? profecto nihil. Nam ut de multis aliis taceam, per microscopium in plurimis insectis detectæ generationi inservientes partes, nequaquam satisfaciunt advertentibus, quo pacto (ut millies sunt experti & quotidie experiuntur nostrates vellerum glabrones) vermium myriades tempore brumæ in bene valentium ovium triduò quatriduove mactatorum velleribus oriantur: nullum enim tum super terram reptibile minus multò in aëre circum volitans insectum, quod hic puerperio cubet, suumque sperma ovulumque hisce imponat cunabulis. Præterea, ut mihi dicant magni minutiarum antesignani desidero, ex quibus genitoribus, ovulis, spermate &c. primo helvi scarabæi, Hollandis *kevers*, Gelris *mulders*, imprimis virgultis infesti; secundo erucæ minimæ Holland. *ragrijp*, Gelr. *trekmai* tempore veris, gemmas, flores, folia, arborum præcipue frugiferarum depascentes perdentesque, ut sat multò quotannis suo damno & tædio experiuntur hortorum cultores; tertio volitans insectum Gelr. *aas*, Holland. *haft*, ex præcipiti Vahalis ripa hyeme tamen aquis glacieque submersa, indigenis *het schoor*, æstate media per millies mille chiliades, momento

mento citius, ex nulla visibili præexistente causâ proveniant repentequè iterum evanescant? Non inficior hic vulgò in scenam produci invisibilia figurâ planâ aëri ventisque inhærentia & ubivis depluere prompta ovula seminave. Sed hæc imaginaria esse sequenti probo argumento: alter utrum enim, vel hæc ovula &c. deberent esse prudentia, scireque quæ invadere deberent, vel singula discreta ex innumerabilium vegetabilium penu, vel ex maxima animalium familia, magnetica seu attractrice quadam qualitate, (quam tamen ovulorum patroni adeo adversantur, ut nil supra,) solum modò ex his ovulis fœtis aëre ventisque, sibi familiaria tantum semperque consueta, ut Ex. gr. frumenta curculionum; farinæ, sacharum, syrupi, acarorum; vestes, tinearum; virentes arbores plantæque mille erucarum, genere specieque diversissimarum; virgulta prædictorum scarabæorum; aqua, insecti *aas;* ligna, teredinum; verbo, singula elementa, infinitorum & inter sese dissimilissimorum exercituum ovula, ad peculiaria quæque, singula à cæteris distinctissima loca, attrahere deberent. Sed falsum prius ergo & posterius.

Accedit mirabilis soricum murumque aquaticorum proventus, uno tantum ab altero differente anno, ut hoc infinitis millium myriadibus integras regiones depopulentur, sequenti eorum nullo superstite. Præterea (quod attendentem majori adhuc afficiat admiratione) memini conspectos primò uno die, altero catervatim non solum rure sed per urbium plateas divagatos, illosque omnes denuo paucis abhinc diebus adeo extinctos, ut ne vestigium quidem eorum superesset. Ite jam omniscii (si Dis placet) Naturæ naucleri, rationisque vestræ bolide explorate Divinæ Omnipotentiæ vadum. Sed observate moneo, ne vestro arrogantiæ lembo in Divinæ

zelo-

zelotypiæ ſcopulum impingendo, naufragemini, atque ab abyſſo ejus iræ abſorpti, vermiculo terreſtri (attamen ſuperbienti) dignas luatis pœnas. Spero neminem mihi jam imputaturum, quod olim cum aliis pro ratione illius temporis in verba Magiſtri juraverim, ſentiendo in octavo inauguralis Diſſertationis meæ corollario, *Vermes non naſcuntur ex putredine*, diſertè affirmans contrarium, *Sed ex ovulis* (ad quæ in abditiſſimis, tam ſolidis quam fluidis animalium partibus invenienda, fingi ſolebant tam exilia, ut inviſibiliter reſpirationi inſervienti aëri ventiſque inhærentia liber ipſis per patulum os cutiſque poros perpetuò pateret aditus) quoniam hæc affirmare jam nollem. Nam præterquam, quod Herodis Agrippæ, Philippique Secundi Hiſpaniarum Regis, (ſi Hiſtoricis fides ſit habenda) horrenda exempla, ſat deterrere valeant curioſiſſimos quoſvis indagatores, qui ab ovo uſque ad mala illorum jugem lendum pediculorumque mineram inveſtigare ſibi perſuadeant; novi ego olim in Gelriâ ſenem phtiriaſi extinctum, invitis expertiſſimis Chirurgis, & incaſſum probatiſſimis remediis, tanquam invalidis hymenæa, partus ovulorumque excluſiones &c. impedire his in infinitum progenerantibus pediculis. Quis credat, in ſenis ſordidiſſimis ulceribus aſſiduè optimis generoſiſſimiſque remediis refertis, tam ordinatim generationis leges obſervatas, omninòque abdicatas mercurio, amaris, ſalinis, oleoſis &c. contra vermes ſeu pediculos vires? nec potius intelligat, inſuperabilem pediculorum fomitem, ex putredine, hominis cacoëthes adimplente, productum. Non ſolum modò tralatitium eſt, quoſdam homines ſemper eſſe pediculoſos, etiamſi præ aliis ſæpiſſime veſtes mutent: ſed ipſe de quâdam in veſtibus, tam lineis quam laneis mundiſſima virgine memini, adeò pediculis (quorum tamen venatui ſæpiuſculè in-

Actor. XII. verſ. 23.

le in die vacabat) ſcatente, ut ſociæ ipſâ cum concumbere ſemper detrectarent, miſeraque in vituperium omnium ex mercurio præſidiorum, ab his tortoribus, (alterutrius ſeu utriuſque generationis neſciebat) pediculis adeò torqueretur, ut ſe tæderet vitæ.

Porro ſcatentia vermiculis inveterata aliquot ulcera mihi anno 1680. Lutetiæ in noſocomio magno (vulgò *l'Hôtel Dieu*) videre contigit: Sed hos ex ovulis internè ex vaſis, vel externè ex aëre illic delatis, prognatos, expertiſſimi hujus totius Europæ maximi noſocomii Chirurgi, univerſæque Chirurgiæ Coryphæi, neque per ſomnium cogitarunt. Qui mihi majores exilium vermiculorum, Gelris Weſtphaliſque Vareni, Dracontii *die Vaaren* in quibuſdam vagantibus manantique ulceribus interdum apparentium, ſubinde ex dorſi cutis poris prominentibus, indicabit; erit mihi magnus Appollo. Quendam novi, qui cætera ſaniſſimus, æſtuante Sirio, crebrò viventes vermiculos ex faciëi ſuæ puſtulis exprimere poteſt. Ut taceam, de quibuſdam Africæ oris endemiis ſtupendiſque pedum vermibus, incolis, præſertim advenis, admodum infeſtis. Recordor ab affine meo, qui olim aliquot annos Gubernatori Coloniæ fluvii Berbice in Americâ Meridionali à ſecretis fuit, audiviſſe de quodam vivente, indieſque accreſcente corpuſculo, noſtratibus *Sieken*, Indis *Mebiky*, moleſtum adeò habitantibus: ut niſi opportunè à peritis exſcinderetur, vulnuſque brevi tabaci cinere conſolidaretur, incurabile poſt ſe relinqueret ulcus. Horum ſeptem una vice ſibi ex pedibus extractos aſſerebat, etiamſi hæc verens, pedes caligis ex alutâ indutos ſemper ſedulò ſervaſſet, ita ut, ſeu volitanti, ſeu repenti inſecto, ad ſuorum pedum cutis poros prorſus

esset interclusa via. Insecta, mandante Deo, olim in Ægypti pœnam, ictu Aaronis baculo producta, exclamantibus hoc imitari imparibus Magis: *hic digitus Dei est*. Quis mentis compos, hæc naturaliter genita, affirmabit? hic Leidæ, ante duodecim, ni fallor, annos, munusculo ostendebatur vetus putreque mali fragmentum, à piscatoribus ex æquoris fundo attractum, serpentum tam viventium, quam mortuorum myriadibus, instar capitis Medusæ opertum, & quidem hoc modo, ut cauda carerent, umbilicoque tenus ligno infixi, solum dimidiati, putri ligno enati viderentur, reveraque essent angues. Quæ omnia simul collata, si non evincant Novatorum dogma, jam ante centum annos tamen ab Andrea Libavio ventilatum, *Quod omne animal sit ex prævio sui generis ovo vel semine, nequaquam ex putredine;* sufficient, spero, æquis rerum judicibus, ut videant, quod unum æquè incertum ac aliud sit, nihilque in doctrinâ de ovis inveniatur, de quo non in utramque partem disputari queat: præterea, quam inextricabiles ambages, vel splendida commenta requirantur, per quæ minutiarum patroni, tanquam perpatentia ostia, insectorum ovula seminave, magnis, sed infaustis conatibus, in animale corpus introducere moliantur. Tandem fateor, doctrinam vetero-novam de ovis antiquissimis innotuisse, hac saltem exiguâ cum distinctione, quod olim Orpheus Aristophanesque &c. solummodo unum, sed grandiusculum & visibile ovulum, cui pro colliquamento chaos, pro embryone lux & tenebræ, pro fœtu elementa fuerunt, & ex quibus tandem infans mundus prosiliit, excluserunt: sed recentissimi ex millesimâ arenulæ, myriades invisibiles producunt; tantaque ingenii subtilitate veteres superant, quanta millesima arenulæ, a macrocosmo

Vermes (Saltem eorum pars maxima) ex putredine magis, quam ex ovis produci, mihi probabile videtur.

mo differt. Dictis fidem recuſans, oculatiſſimum & ſuis ſpecillis celeberrimum minutiarum Imperatorem adeat, qui tantam paſſim reperit vermiculorum copiam, ut videatur (ad exemplum inventoris corpuſculorum, univerſum orbem conſtituentium) ex iis totum mundum ita conflare, quod teſta maximi ovi Veterum, in univerſalem nidum tot ovulorum, quot inviſibiles atomi conſtituant viſibilem Κοζμον, transſformetur. Sed ſatis diu inter vagantes & longè latèque graſſantes hos inſectorum exercitus exſpatiatus ſum, hanc telam, licet in medio adhuc ſit opere, abrumpo, atque ad proprium penſum (paginam vertendo) revertor. Quantum neglectu Apoſematum, Emplaſtrorum, Linimentorum, Semicupiorum, Frictionum, Fonticulorum, Veſicatoriorum, Cucurbitularum, Cauteriorum, nec haud raro V. Sum &c. (olim ſecundum graviſſimos fideque digniſſimos Autores Medicos in maximum artis emolumentum remedia) praxis Medica, non paſſa eſt detrimentum? Magnum certè, quod omnibus veris expertiſque practicis, quibus vafri novatorum mores diſplicent, & languentium valetudo cordi eſt, innoteſcit.

Quartum argumentum facilè poſſem concedere, ſi ſimul ſuffragari non recuſent, quod temperantiores Hippocratis ævo homines non magis afficerentur à Veratris, Elateriis, Tythimallis, Colocynthidibus, Cataputiis, Scyllis &c. quam noſtro Tamarindis, Rheo, Senna, Manna &c. quanquam & horum aliqua ipſis non fuere occulta. Tandem allegatur, quod ſi omne artificium ex frequenti exercitatione ſuſcipiat incrementum; ergo & antiquiſſima, & tot ſæculis exculta Medicina maximè increvit. Quod tamen argumentum eſt ambiguum, & non admodum pro novatoribus militans.

Non generatim enim, ſed tantum partim verum; partim etiam falſum eſt.

Tiberio Principe vitri temperamentũ variâ materiæ mixtione, ignisque certâ temperie flexibile excogitatum, fama fuit, officinamque abolitam, ac interdictum hi ignibus, ne metallorum prætia detraherentur.

Artes enim quaſdam jam magis, ac olim, excultas politaſque, concedo gratulorque: ſed ſimul doleo, tanta & tam magnifica venerandæ antiquitatis veſtigia, hujus æmulæ naturæ artis penetralibus olim elapſa, jam planè temporum ingluvie hoſtiumque barbarie, perdita & obliterata, ut in Mechanica, ſcilicet ædificiis, opere muſivo & lithoſtrotone, pictoria, tinctoria, purpuraria Vitriaria, cadaverum conditura, infinitiſque aliis; quibus pro concluſione addo primarium, præcipuum, mihique ſemper inſtar cæterorum omnium argumentum: ſcilicet jactato incremento, omnibuſque decantatiſſimis inventis & novis, non plures homines jam, quam olim, à morbis ſanari, & pertinaciſſimi quivis morbi Medicorum opprobrio infames, ringentibus hiſce novis & inventis, adhuc ſemper ſuperſtites.

Multum egerunt (inquit Seneca) qui ante nos fuerunt, ſed non peregerunt, multumque adhuc reſtat operæ, multumque reſtabit, neque ulli nato poſt mille ſecula præcidetur occaſio aliquid adhuc adjiciendi.

Quapropter etiam quiſque ſincerus expertuſque Medicus neotericus, æque jam ac olim, veterum Medicorum publicam confeſſionem ſubſignare non reformidabit:

Quanta ſunt, quæ neſcimus: & (ut infinita ſimilia in Medicinâ & aliis prætereàm, nullus quod ſciam, Philoſophorum vel Mathematicorum rectè explicat, quid ſit, quomodò fiat & non fiat, novuſque faciendus ſit, ſaltem facere nequit Echò: Nam dicere, quod ex ictu, impulſu vel ruptura aëris edatur & tranſmittatur ſonus, qui, ſi repercutiatur vel multiplicetur, appellatur Echo, eſt nihil dicere: Si enim hoc verum eſſet, neceſſariò ſequeretur, quod tam accurati delineatores, vel novum Echò, in loco, ubi anteà non erat, facere, vel, ubi prius erat, abolire poſſent, quod utrumque falſum eſt, tantique artifices adhuc exſpectantur. Similiter

Cum illis tamen non conſentio

liter ad plurima, tam in macrocosmo, quam in microcosmo existentia, vel quotidie adhuc contingentia, mens nostra cœcutit, doctissimorumque sententiæ, nil nisi quam minus doctorum opiniones, magis artificiosæ sunt conjecturæ.) Scias tamen, me non ita adstrictum esse vetustati, ut errores defensos velim, vel, devianti contradicere, piaculum duxerim; multo minus, quod hoc blasphemum Fallopii de Herophilo Medico Anatomico testimonium assentarer: *contradicere Herophilo in Anatomicis, est contradicere Evangelio:* vel quod cum Chymiæ osore Erasto; *salem diabolicum medicamentum vocarem,* vel *cum alio omnia Saturnia internè sumpta, venena indicarem;* neque me suffragari, quod de M. Catone narratur: scilicet illum tantum morum mutationis hostem fuisse, ut senatus consulto quendam musicum Româ proscriberet, qui pro novitate, ordinariis sui instrumenti musici chordis unam superaddiderat; ipsumque instrumentum combureretur: nullo modo. Veteres fuerunt homines, uti & nos sumus, errare potuerunt, quod & nos possumus, & humanum est. Priscos enim omnia vidisse, dixisse, novisse, non tulit ætas: & Neotericos de rebus præsentibus, quæ illis erant futuræ, certius loqui, & majorem rerum experientiam callere, certissimum est. Hinc peritis ætatis nostræ viris, quædam invenire & inventis addere, facile & fas est: etsi primis inventoribus prima laus debeatur. Debitam igitur proficuis novis (inter quæ magnetis inventum, meo judicio, primas tenet) laudem non detracto: semper tamen modesta quadam discretione: quia jam inventis aliquid addere, & sic indigestos præcedentium catulos, quasi lingendo formare ac polire, quam nova invenire, atque in se ipso vel aliis experiri, minus est difficile: alius enim serit & alius

qui sibi persuadent omnia à veteribus esse inventa, & si quod fuisset amplius reperibile, utique fuisset inventum.

metit. Illi ſuperi nobis poſteris primum pontem ſtraverunt, facemque prætulerunt, inviamque viam calcarunt: exploratas enim & detectas medicamentorum vires virtuteſque (paucis ſolum exceptis) illis debemus. Habeant nova ſuam laudem; ſed & vetera, ſine quibus nova non extiterunt.

Quanta igitur quorundam eſt protervia, ut publicè inſectentur, quod nunquam noverunt vel intellexerunt: & quorum examen, ut nimis operoſum, reformidant: ſed ignoti nulla cupido. Aſpernantur, quia ignorant, alios ignorantes cupiunt, ne damnum ferant in ſuis fictis novis, vel tandem ſatis noſcunt, ſed confiteri pudet, quoniam tum omnibus innoteſceret, famoſiſſimos quoſvis Novatores ſuas lucernulas, fulgentiſſimo Veterum jubari accendiſſe.

Ut omnia tribus comprehendam verbis: ſicut non magni facio Veterum de pulſibus, urinis, diebus criticis, intercalar. &c. vanitates, ita nec pluris pendo quorundam noviſſimorum hominum inventa inutileſque quiſquilias, quas tamen illi in publicum orbis theatrum proferre, & mundo pro lege obtrudere, non erubeſcunt: enimverò, ſemper recto tramite incedere, Veterum errores cavendo, nec Recentiorum omnia inventa affectando, ſed meliora & utiliora pro viribus ſequendo, conatus ſum: ſive jam ficta & impoſſibilia credantur; de veriſſimis dubitetur; omniaque humano captui incomprehenſibilia, acſi falſa, à quibuſdam rejiciantur; ab indigente (ut de contrariò convincatur) vapulatione, ſenſus negetur; juxta regulam: *Qui negat ſenſum, indiget vapulatione:* ſive Medicinæ perfectio adhuc à Matheſi expectetur: an corpori vel ſpiritui adhibenda in morbis medela: terra (id eſt columna ignem,) vel ſol terram circumeat, ſecundum verſiculum:

Aſtra

Astra ergò magnete Deo rapiuntur in orbem:
Stans verò vi Terra suâ, firmatur in ævum,
Ponderibusque suis librata, immobilis hæret.

Sive hæc astra & planetæ quoque, instar mundi metallis ac mineralibus sint refertæ, vegetabilibus vestitæ, & ab animantibus calcatæ, & quæ similium absurdarum opinionum monstra, in hac jam jam collabentis mundi senio plura sint; nil curo: dum mihi saltem ea rejiciendi, quam Novatoribus ea renovandi (& quasi inveniendi,) æquè libera sit relicta potestas.

CAPUT IV.

De Mysteriarchis & Superstitiosis.

Secretorum venerandi antistites, adhæc arcanorum Principis Paracelsi fideles asseclæ supremum hic merentur locum; non quidem illi fanatici & ciniflones sese vocantes Adeptos, divini benedictique Lapidis, de quibus Capite sequenti: (rudiori ævò crassa & splendida hæc mendacia sat multos deceperunt: cautior jam mundus) sed probatissimorum & cæteris omnibus (ut prædicant) incognitorum remediorum Possessores sagacissimi, omnes (si Dis placet) profligaturi morbos: qui, ut admirationem sibi concilient, arcana affingant mysticaque, eo potissimum studio, ut applausores etiam per aliorum calumniam inveniant. Hi Thrasones suâ jactantiâ non solummodò ignaris, sed, quod magis dolendum, sæpe gnaris imponunt, vulgaria pro abstrusis, absurda pro convenientibus decantantes. Se-

Mysteriarcharum doli.

cre-

creta hæc nemini revelare volunt, & pro his non minus ſtrenuè, quam olim *Argentifabri Epheſiorum pro parvis Dianæ templis* certant: nam ſi *hæc illis non modicum præſtabant quæſtum*, profectò Secreta noſtris lucro quam avidiſſimè inhiantibus Myſteriarchis, ex miſerorum ſanguine & ſudore præſtant uſuram; *magna Diana*, vociferabantur Epheſii, major pecunia, declamant ſecretarii. Orbi, pro magno pretio, fumos vendunt, & ex re vili, ſine ullo labore, diteſcunt, veris Medicis labores & pericula, ex morborum ancipiti exitu, fœtorem & contagium ex ægris relinquentes.

Prædæ inhiant.

Non tam ſalus mortalium, quam ut nummos corradant; ipſis curæ eſt. Precioſiſſima enim eſſe arcana ſua, & ex auro & gemmis confecta (alii aliud quid grande dicunt) duplo cariora igitur his redimenda eſſe, magno buccarum hiatu jactantiàque plus quam Thraſonica effutiunt, & falſis fictiſque encomiis hominibus obtrudunt. Quod Plinius de Indorum Gymnoſophiſtis meminit: ſcilicet illos ab exortu ad occaſum, immobilibus oculis ſolem contueri potuiſſe, non tam facile crediderim, quam quod noſtri Myſteriachæ in ſolem Chymicum videlic: aurum, annuatim à Calendis Januarii uſque ad ultimum Decembris, mentis corporiſque oculis vibrent; & liceat, quod mere, mali ſutoris, eodem calceo pedes omnes induere moliantur; aſſentatores tamen & doli periculique amantes, ipſis nunquam deſunt; & quia inpoſſibile ſit ſine exemplis res magnas proferri poſſe, multos ſuis arcanis à morbis curatos fingunt, Agyrtarumque more ad teſtimonia & præconia aliorum, quanquam ut plurimum multo falſiſſima, confugiunt. Sed impia ſub dulci melle venena jacent, expilatorius tantum acquirendi dominii modus eſt: Nam in pœnam contemptus veræ Medicinæ, emungunt

Turtures mutant Tauris.

ipſa ignorantia ſæpe ignorantiones ſunt.

quoſcunque poſſunt. Medicatiunculis paucæ quantitatis ad palatum accomodatis, incautioribus imponunt & multos ad tartara mittunt, & ſi tunc fortè in ſanationem aliquam felicem, quanquam plané fortuitam & Empiricam; vel veris Medicis ſurreptam incidant, à decepto vulgò magnificis encomiis ad cælos attolluntur; quanquam non inſuetum ſit, declinationibus morborum, interdum parva re, eâque etiam abſurdâ, modò aliquo appetitu & fiduciâ deſiderata, naturam reſuſcitari. Hi pro omnibus à capite ad calcem morbis arcana remedia jactant; illi non tam arrogantes quoddam ſecretum pro uno vel altero pertinaciſſimo affectu imaginantur, &, vel epilepſiæ, maniæ, arthritidis, paralyſeos, vel phtyſeos &c. curationes (incaſſum tamen) promittunt: alii magno faſtu & ſupercilio de Panacæa, vel remedio univerſali ad omnes morbos, gloriantur, ut videantur nil vulgare nec ſuetum proferre, ſed cuncta portentis atque prodigiis replere, variolis ac morbillis laborantes frigido aëri ventilandos exponunt quidam, illiſque purgantes vomitivoſque pulveres præſcribunt; ſic quod fidem ſuperat, in hemoptoi, calidiſſima olea ſtillatitia ad aliquot dragmas, in mixturis cochleatim ſumendis, ab hujus farinæ quodam novi præſcriptas, &, ne fraudes eorum detegantur, vulgò fugiunt colloquia doctorum Medicorum, detrectantque cum illis Medicinam facere, & quod præcipuè notandum, dum nugaciſſima ſua Catholica & periculoſos ex ſtybio vel hydrargyro, vel inutiles inefficaceſque ex auro foliato, bolo, cretâ vel cancrorum lapidibus pulviſculos, quanquam carè ſatis ſolvendos, præbeant, ſimul alia generoſa, aromatica ac ſpirituoſa ſatis magnâ copiâ præſcribunt, itaque ut quod his efficiatur, videretur fallaciſſimæ eorum Panaceæ tribuendum.

Quod verſutia compenſant.

Alii aliis magis arrogantes ſunt

Ut ſibi vulgi admirationem concilient, contra univerſè receptam Medicinam agunt.

Alterum eorum aſtus ſpecimen.

Dari Panacæam seu medicinam universalem omnes radicitus morbos cur autem, a Medicinæ incunabulis somniarunt Sycophantæ (reluctantibus tamen semper dogmaticis.)

Sed quoniam hìc nobis de tam famosa, ac ab omni ævo decantatissima re sermo est, non inutile erit, ut aliquantisper cominus terribile ac carnivorum hoc monstrum perlustremus, priusquam trito: *conveniunt rebus nomina sæpe suis*, assentiamur. Ad Panacis vocem quod attinet, eam tempore inventionis Medicinæ, cum adhuc maxime in chirurgicis versaretur, (nam rarissimè utebantur Pharmaciâ, qua nec multum egebant, vigentibus exercitiis & Platonicis gymnasiis temperantiaque) impositam fuisse quibusdam polychrestis ad externa vulnera, ulcera, tumores &c. Maximè ad panos, constat. Hoc nomine ab antiquissimis temporibus permultæ plantæ, formâ ac viribus inter sese diversissimæ, superbierunt (neque enim negamus lapsus quosdam & arrogantiæ vitium olim in Medicos irrepsisse: nequaquam, nullo tempore defuerunt ambitiosæ medicinarum commendationes) Ferulaceorum tamen familia cæteris palmam præripuit, suumque diploma, sigillis chirographisque *Herculis*, *Asclepii*, *Chironis* &c. (quasi ab inventoribus) munitum, acquisivit: hinc tanta in mundi infantiâ à nugacissimis Scriptoribus sunt ficta nomina, ut ligusticum vel levisticum, cunila bubula vel satureja, cunizamis, cunilago vel conysa, fuerint indigitata: *Panax Heracleum*, *Asclepium*, *Chironium*, *Centaurium imo Dodecatheon à* 12. *Diis*. De Panacis vel Panaceæ viribus tamen, non convenit ubilibet fabulosa ætas. Plinius S. narrat *Panacen potam ex aquâ omnibus morbis mederi, traditam fuisse & ipso nomine promittere omnium morborum remedia*: quod ille ipse tamen refellit, terminando hoc *omnium*, *ad quosdam*, præcipue *chronicos morbos*: etiam Dioscorides *ad magnum morborum catalogum Heracleum Panacen* commendat: minus hujus virtutes *ad plurimos usus* præ-

Inquisitio in panacæam.

Chirurgia est antiquissima pars Medicinæ.

L. xxv. Cap. 4.

L. xxvi. Cap. 9.

L. iii. Cap. 48.

L. viii. sim. pl.

dica-

dicavit Galenus, quem secutus Mesuæ, cæterique Galeni, tam ex Græcorum prosapia, quam ex Arabum turba simiæ, omnes prædictas Panacæas in plerisque morbis gravibus commendantes. Aliquando tamen sibimet ipsis de illis contradicunt veteres Autores, in hoc tamen ut plurimum convenientes, ut potius externis quam internis malis accommodarint suas Panacæas, & licet apud ipsos de *Athanasiis*, *Panchrestis*, *Acharistis*, *Pharnaceis* imo *Catholicis* sæpissimè fiat sermo, redacta tandem ad particularitatem est tota illa ambitiosa professio, & Catholici nomen solummodo hæsit in quibusdam *Polychrestis* seu ad multa bonis, omnesque humores purgantibus. Colligitur hinc Panaceæ vocem usumque apud antiquos sat latum, sed tamen non in omnibus principalem, solitarium sanativumque fuisse: sed utinam! Panaceæ fabula cum suis inventoribus periisset, nec hisce etiam temporibus suos haberet patronos, qui neutiquam contenti antiquorum ex simplicibus ad aliqua pathemata Panacæis, infinitas ad omnia ex triplici regno sumptas, tam simplices quam compositas finxerunt alias.

Tenebriones ex scholâ Paracelsi stant hic denuò in prima acie, qui ut autoritatem conciliarent suis medicamentis, Salibus, Magisteriis, Essentiis &c. mirificum populo proposuerunt commentum de Quinta Essentia ex vino ad omnes morbos apta, si scilicet huic cælo alligarentur stellæ singula membra respicientes. Itaque universalem quandam & Mercurialem aptitudinem ad omnia habere illam Essentiam, existimaverunt. Quod si septem planetæ affigerentur, quia hi universo cœlo præsunt, & vires stellarum recipere, dirigereque creduntur, Catholicam fieri Medicinam, etiam in specie judicarunt. Alii duo Entia proposuerunt ex minoris

Chymicorum figmenta.

Maximam harmoniam inter solem aurum hominem & vinum jactant.

Ens Nutritivum

mundi cum majore conformitate. Unum Ens nutritivum est, quod ad alenda omnia membra, atque adeo totum hominem sufficit, ob hoc universalem vim sortitum, ut possit singulis servandis alendisque familiare esse: Alterum est medicum. Hoc quidem pro varietate rerum & membrorum in varia simplicia est digestum; putatumque est, quodque simplex aliqua nota naturali indicare, pro quo membro esset comparatum: Sed studiosi rerum hoc quoque ad singularitatem universalem adducere sunt conati, ut sicut unum Ens nutritivum est ad omnes homines, ita etiam extaret unum curativum. Quæsitum id est in homine primum, ex cujus sanguine & mumia id elicere studuerunt, ratiocinantes; quod à familiari conservatio restauratoque foret omnium optima: & sic necesse esset, quia homo homini simillimus ex ejus, sani tamen undiquaque, naturâ petere instaurationem à sanitate dilapsi. Sed cum calor & spiritus coerceri, & figi non possent: plurima tamen efficacia in restitutione his deberetur, crassioresque Essentiæ desciscerent à familiaritate quæsita, & tandem exolescerent; ad alia discessum est, & in mineralibus, utpote firmioribus, Universalitas indagata.

Ens Medicativum

Catholicum in homine quæsitum.

etiam in calculis & excrementis humanis.

Nefarii Paracelsici ex baculo vitæ sanguine & vino semineque humano arcana secretissima (ut volunt) maximarum virium petunt.

Putarunt omnes in Lapide Philosophorum acquiescendum esse, quia haberet omnium planetarum, quibus homo regeretur, potestatem, omnibusque porro membris esset analogus. Sed paucissimi eum obtinuerunt, nec constat, an cum successu etiam possessores ejus. Itaque alius in alio elaboravit: ut in *Auro*, *Antimonio*, *Hydrargyro*, *Sulphure*, *Coralliis*, *Nitro*, *Vitriolo &c.* inventumque suum maxima cum ostentatione publicè deprædicavit; se tandem habere illud Ens Curativum Catholicum professus: sed non respondit promissis eventus.

Aliud in numeris

Universalitas seu Catholicismus longè facilius Diabolico-humanis Draco-

Haud

Haudquaquam *Truncatorum Chirurgia* universalitatis nomen meretur. *Ex Indiis allatarum Panacearum* fama & admiratio, etiam admodum brevis fuit.

nibus, *par les dragons* quam Chymicastrorum nugis acquiritur.

Cui symbolum: *in sole & sale sunt omnia*, mirè suum benedictum, ac ubique, & in omnibus reperibile *Salem Petræ*, quasi Titanis fœtum, & materiam ac matrem sui Auri Potabilis, ut Medicinam non solummodò animanti, sed & vegetabili Universalem, extollit, dubitantique sic asseverat: *latent in ipso vires & virtutes omnium vegetabilium animalium & mineralium;* ita etiam meritò illi adscribitur *vis Medica curativa omnium morborum.* Porrò de reducibili auro argentove in Esse Spirituale cæterisque metallis Spiritualisatis (uti dicunt) quasi verò cæterarum Panacearvm Imperatores magna fumivendulorum prostant volumina. De *Tincturis Essentiisque Solis, Lunæ, Margaritarum aliorumque Lapidum Prætiosorum, Salibus Volatilibus, Aquis Benedictis, Elixiriis Cœlestibus, Salutis, Vitæ &c. Tartaro Vitriolato, Rore majali, Opio, Tabaco &c.* plurima plurimi jactant. Ad *Theriacam, Mitridatium* cæterasque inconcinnas & *Magnas Compositiones* quidam, quasi ad sacram salutis anchoram, advolant. Alii quasdam compositiones, sæpe satis confusas, *Magistrales* & *Nostras* baptizarunt, persuasi eas veras esse Panacæas: quorum encomia, si vera essent, nullus sanè morbus futurus esset tam rebellis, quem haud edomare possent, & profectò adeo hodiè invaluit scribendi cacoëthes, ut quidam contra conscientiam, colorato alicui vino adusto, imo insipidis inefficacibusque nugis, tantas vires sæpius adscribere non erubescant, quantæ vix universæ materiæ medicæ,

De Variis sed vanissimis Panaceis.

dicæ; & quamvis non omnes adeò temerarii sint, ut sua pro Panacæis ventilent, saltem sequenti signo eorum moneta vulgò signatur: remedium Optimum, Egregium, Incomparabile, Nobilissimum, Cæleste, Angelicum, Divinum &c. Papæ! quanta verba. An hæc similiaque legens Lector non pensitas: loculum hujusmodi nummis plenum si haberem, me per vitæ curriculum à morbis redimerem; rectè judicasti: Sed eheu! nuda verba sunt gerrisque Siculis vaniora.

Cæleste, Angelicum, Divinum &c.

Vera dico, Deumque testor, quod inter mille à suis Autoribus commendatissima medicamenta, vix unum vidi vel audivi, quod suis ambitiosis Titulis atque arrogantibus Epigraphis satisfecerit. Cui bono igitur promissiones, quas præstare nequeunt: promissa enim cadunt in debita, secus acsi splendida mendacia despicanda & vitanda sunt. Sed ad rem, ex præmissis liquet, nullam dari, nec unquam datam fuisse Panacæam seu Medicinam Universalem absque molestia alvique subductione, vomitu & sudore (uti volunt) omnes radicitus morbos curantem: (quod à quibusdam verò de æthere amico & placido, & cum poris nostris conveniente hic fabulatur, acsi hoc tantum ad Panacæam requireretur, Ἀπροσδιόνυσον est) jure meritò ergo ab omni probo & rationali Medico, hoc tenebrionum idolum, ac inane commentum, rejicitur. Sed inferentem mihi videor audire Mystam: Si manifestis polleat viribus, quid tum? resp. bene quidem, assentiar promitto, sequentibus videlicet conditionibus: si tua Panacæa simul sanguinis circulanti torrenti remoram apponere & calcaribus urgere, nimios furentesque spiritus minuere & placare; eosdemque deficientes, nimis paucos vel debiles restituere, augere & restaurare; itaque simul aperire & obstruere, laxare & adstringere &c. chronicos & frigidos

Dolendum sanè, quod tam splendida mendacia cum pedissequis commendationibus, remed. opt. Egreg. &c. in vituperium artis semper restent, & à nugatoribus, quanquam de contrario conscii, continuò foveantur.

Tam temperata Panacæa neutros vel juvare vel lædere posset.

gidos simul ac ardentes & acutissimos curare, morbum in defectu & excessu partium planè solum sanare, (ut verbo absolvam) omnes causas, morbos & symptomata omnino tollere norit. Sed hæc contradictoria & impossibilia sunt; falsa igitur unius Medicamenti ad omnes morbos universalitas, maximequè temerarii sunt, qui hoc statuunt, sed dementes qui credunt. E contrariò putem ego, omnes præsumptas Panacæas, pro uno morbo, sexcentorum fœcundas esse matres. Tandem pro colophone addam, si daretur Panacæa:

Ratione probatur, quod in rerum natura Panacea seu Medicamentum universal esse nequeat.

Nos frustra in nugis totos consumpsimus annos
Et tulimus tetricæ jurgia lenta scholæ.

Terra etiam inutili pondere myriadum plantarum premeretur, nec ullo essent emolumento, quæ animalium penus procurat, neque opus haberemus tantis cum laboribus Macrocosmi viscera perlustrare, ac tot tantaque mineralia eruere, cum perpauca ad Panacæam sufficerent. Sed apagè chimæriferi cum pseudo-Panacæis vestris, & videamus in transitu cæteros ex hoc fonte rivos. Ast hic me anxiè hærere fateor, nescius risu ne an commiseratione excipere debeam homines mysteriis & abditis semper fœtos nodosque inscirpis quæritantes, & tam obscurè sua tractantes, ut vix à quoquam intelligi queant; ita ut spinarum inconditam texturam facilius ad principia sua revoces, quam talium hominum conceptus, & qui nec Sybillæ quidem ipsæ interpretentur, aut Oedipus. Iterum hic excellit Paracelsi pecus, quanquam nec Galenicis ejusmodi superstitiosi defuerint. En inter multos (ut viventibus vel nuper mortuis parcam) arcanorum æternitatis exploratorem, omniscium Cardanum, qui postquam ætatem obstrusioris Philosophiæ (sic vocan) vanitatibus: ut Astrologiâ judiciaria,

De medicis superstitiosis.

Qualis Hieronymus Cardamus fuerit, item Lucas Gauricus, & Andreas Vesalius.

caria, Chiromantiâ; Steganographiâ, Polygraphiâ; Anni Clymacterici observatione anxia, Divinationibus, Sortilegiis, Horoscopis, Fatis atque hujus farinæ cæteris (de quorum omnium certitudine nobis tantum, quantum de Nili origine constet) consumpserat; tandem mortuus est eodem, quo prædixerat, anno & die; ob id ne falleret, mortem suam inediâ accelerasse creditur. O subtilem artificem! ast à paucis imitatum, & cui nec ego invideo tantum prognosticum. Henricum
1559. ejus nominis secundum Gallorum Regem, eodem tempore & modo, ipsi longè antea à Luca Gaurico medico Italo prædicto, extinctum, narrant Historiæ. Andræam Vesalium morbi speciem, mortis horam, imo mo-
1548. mentum, Maximiliano Buræ Comiti anginâ mortuo pridem vaticinatum proditur. Ad me tamen quod attinet, qui in credendis expertis hisce Robertis hujusmodi scilicet Historiolarum compilatoribus plurimum humani quid patientibus, non admodum facilis sum, ut mihi ignoscant precor, quandoquidem non difficile fuerit, istius sæculi hominibus superstitiosis falsisque miraculis assuetis atque deditis æquivocis verbis ambiguisque prognosticis illudere.

Helmontius. Sequitur posthumus ille Trismegistus superstitiosus Helmontius, qui, meo quidem judicio, in multis non mente, sed verbis portentosisque nominibus ab aliis discrepat; in plurimis tamen adeò confusè atque obscurè sua tractat, ut Rabbinorum Thalmudi videatur chaos titulum & honorem invidisse. Eodem genio impelluntur, quibus hæc sententia (quasi vero ab Salomone prolata) religio est: *In herbis, verbis & lapidibus latet maxima vis curiosis.* Sensui enim & experientiæ, rerum omnium fide magistræ, hæc omnia refragantur. Curatos nempè per herbas (sic volunt) signa-

ſignaturam vel potius effigiem partium, ex quibus Microcoſmi fabrica, quod ad externam internamque faciem, conſtituatur, referentes, uſque adhuc judicabunt. Per verba, characteres, figuras &c. inanis, impia blaſphemaque cura, ab omni pio ac prudenti jam dudum proſcripta & execrata eſt. Succedunt lapides, de quorum, ſaltem pretioſorum, admirabili varietate, præſtantia, elegantia, de eorumque coloribus, figuris & iconibus non ſolummodo Microcoſmi organa, ſed & quaſdam Macrocoſmi creaturas imitantibus; humana mens obſtupeſcit, inque Divinum Architectum attenti in maximam admirationem rapiuntur: fruſtra tamen tactu vel affrictu, (quod nihilominus Superſtitioſi ventilant) ab iis levamen vel curationem exſpectat æger.

Natura æmula artis in lapidibus.

Occurrendum etiam hìc eſt phantaſiæ quorundam; qui tribus ætatibus mundum diſtinguunt, & primæ ſatisfuiſſe ajunt nutritionem & medicinam ex vegetabilibus; ſecundæ eadem ex animalibus; tertiam eo difficultatis proceſſiſſe, ut non niſi mineralibus ſit curanda.

Probant hoc primum, quia tot ſunt miſtorum ordines 2. Quia; teſte Ariſtotele, tenera hominis natura primum vivit vitam ſtirpium, & ſimili modò nutritur & confirmatur: deinde ſupervenit vita animalis: ultimò hominis 3. quia Deus ipſe primo ſæculò plantas pro victu dedit; ſecundò adjecit animalia, ut ſit conſequens in ſupplementum auxilii: tertiò deberi mineralia: 4. Quia morbi paulatim creſcunt, fiuntque atrociores & novi, ut non amplius ſanari queant vegetabilibus & animalibus, ſed aſſumenda ſint mineralia. 5. Quia Salomon dicitur primas tribuiſſe herbis, ſecundas verbis, quæ ſunt hominis, utpote in genere animali, tertias lapidibus, quibus deſignantur mineralia. Cum itaque

morbi tam vehementes ſint, ut prioribus duobus non cedant; ſolum mineralia accerſenda putant, quorum virtus eſt ſolida & efficax.

Jam ipſis omnis lis eſſet, integramque obtinerent cauſam, niſi ſequentia haberem inferenda.

Tenebrionum ratiunculæ ſophiſticæ exploduntur.

Fatendum quidem eſt mineralium ordinem, præſtantes admodum medicinas continere, maximè, ſi & elaboratæ ſolerter fuerint, & rectè prudenterque uſurpatæ: ſed ob hoc vegetabiles, & animales res non exuuntur ſua dignitate. Tres miſtorum claſſes omni ætate mundi ſuum præbuerunt uſum, & neutiquam arguunt ſingulas ſingulis deſtinatas eſſe. Prima & tertia ratio tunc recipietur, cum aliquando homines vivent lapidibus. Morbi fiunt atrociores ultimis mundi temporibus, tum quia peccatis ingraveſcentibus, hominibuſque intemperantiâ diffluentibus pœnæ & exempla opponenda ſunt graviora, ut filius Dei prædixit; tum quia tota natura inclinatur, & proclivis fit ad interitum. Videbatur potius, quo debilior compages hominis, eò minus actuoſis medicinis, nutrimentis autem validioribus eſſe curanda. Nam robuſtioribus medicamenta præbemus efficaciora, ſiquidem eis indigent. Salomonis autoritas huc per vim trahitur atque nugatoriè allegatur. Morbi novi cumulo & ſævitiâ ſymptomatum & miſturâ, cauſarumque non novitate, ſed vehementiâ potius magnâ ex parte fiunt: Si enim hominis natura definita eſt ſuis partibus & viribus: neceſſe eſt omnem languorem quoque definitum eſſe, nec novum quid exiſtere, niſi κατά τι & miſtione acerbitateque. Sæpè tamen adeo violentum eſt malum, ut citius jugulet hominem, quam ei ſuccurri queat. Compertum & hoc eſt ſæpius mineralia victa eſſe à vegetabilibus vel animalibus, illaque nocuiſſe amplius, hæc

pro-

profuisse: & sæpè magnum morbum parvæ herbulæ aut radiculæ &c. cessisse, ut, inter alia, in cortice Peruvianâ K. K. ad febres intermittentes &c. clarissimè liquet, nec putes Divinam beneficentiam minus valere in herbis hodiè, quam olim.

Quendam ex hac scholâ discipulum, & nihilominus bullatum Med: Doctorem, alio tamen adhuc fœtu gravidum, in celebri quadam hujus Reipublicæ Metropoli novi, qui prætendebat omnes morbos, in unoquoque mense accidentes, curabiles per succum ramuli cujusvis arboris eodem ipso mense creti. Hunc sequenti extrahebat modo: viridium ramulorum fasciculum ab una extremitate Vulcano admovebat, exstillantemque succum ab alterâ testâ excipiebat, quem posteà pro magno arcano, sed irrito eventu, suis propinabat ægris. In alia non ignobili hujus Regionis civitate, interrogabat ejusdem farinæ quidam ad se accedentem ægrotantem, cujusnam coloris subuculâ vestitus esset? respondentique coccinei; pronuntiavit hanc esse causam malorum; igiturque statim exuendam. Fatendum tamen, hos moriones in nostro solo rariores multò, quam alibi inveniri: nec mirum; quia superstitiosis facilè est, superstitiis in sacris assuetis, etiam sua commenta, maximaque hypocrisi deauratas gesticulationes, obtrudere.

Exempla quorundam nostræ ætatis superstitiosorum Medicorum.

Jam supersedissem, quia de his logis diutius exarare non ferebat animus, nisi nova superstitiosorum mysteriarcharumque turba me compelleret, ut huic illos albo insererem. Accedite jam Domini Sympathetici atque tradite vestra, ut tanto melius vestram dicam causam, litis documenta:

De Sympatheticis sive absque remediis morbos curare jactantibus.

Surgite jam pueri, vendit jentacula pistor,
Cristatæque sonant undique lucis aves. Martial.

„ Possumus (sinobis ita visum sit) semper urinæ, circa crepusculum matutinum redditæ, omnis sexus, ætatis atque regionis ægri, etiam centum milliaria absentis, nostro secreto secretorum sic mederi, ut per Sympathiam, vel si mavis Antipathyam, in sudores fœces alvinas vel vomitus resolvatur, & consequenter hisce quasi flagellis indomabilia Medicis morborum monstra, fugentur relegenturque. O ter grande atque ad minimum Diademate dignum facinus! Priusquam tamen me assentatorem habeatis cum bona venia vestra, tanta mihi mysteria propius perlustranda sunt: aliorum enim assertis atque pollicitationibus, antequam rem clarè exploratam perceptamque habeam, credere, mea mihi vetat religio. Videamus igitur, an è Medicorum corio, vos non nimium largas exsciderítis corrigias.

Quid sit Sympathia. Συμπαθείας vox à quibusdam ita dilatatur, ut sub se contineat consensum quemvis, qualis est causarum, effectuum, subjectorum, adjunctorum, generum, specierum, integrorum membrorum &c.; concordant enim agentia, patientia, homogenea commateriata, continua & tangentia naturaliter &c. quæ inde etiam mutuò afficiuntur, quod voce συμπαθεῖν declarari potest.

Qui magis tamen propriè videntur locuti, affectionem peculiarem in naturalibus quibusdam corporibus intelligunt, secundum quam alterum ad alterum dispositum est, ad peculiariter aliquid patiendum agendumque, ut sit quædam familiaritas & concentus naturæ, seu proclivitas, & quasi quidam appetitus alterius certo modo ad alterum se habentis, veluti cum magnes ferrum trahit. Recte etiam similitudo, consensus, congruentia, concordia intima & propensio peculiaris ob

fa-

familiaritatem totius naturæ nominatur. Ei opponitur *Antipathia*, (contrarietas & repugnantia) quæ oritur, cum alterum ab altero hostiliter, sine manifesta causâ afficitur, ad similitudinem odii infesti. Itaque & abhorret alterum ab altero, &, aut destruitur, aut aliàs molestè se habet ad ejus præsentiam: quemadmodum ajunt vitem & brassicam, homicidam interemptique cadaver diffidere: quamvis incredibilibus historiolis, quæ de cadaverum vel homicidarum cruentatione narrantur, minimè fidem habeam, magisque abhorrerem eâ de causâ aliquem, (ut olim usus obtinebat) cædis autorem declarare. Cum duplex sit agentium & patientium omninò genus, quorum alterum in materiâ formam habet, & repatitur agendo, alterum non habet nec repatitur; etiam Sympathiæ & Antipathiæ duæ constituuntur classes. Quædam mutuò afficiuntur, ut aurum, plumbum &c. cum hydrargyro, quandoquidem alteratio inde sit mutua. Narrant gemellos fuisse, quorum alterutro ægrotante, lætante, esuriente &c. eadem passus fuerit & alter; itaque vicissim. Plurima tamen non afficiuntur mutuò; ita qui à caseo, lacte, butyro, pomis, ovis, cepis, vino &c. abstinent, ipsi patiuntur soli. Refertur puero cuidam, ovis comestis, labia intumuisse, faciemque nigris & purpureis maculis conspersam fuisse, ore despumante non aliter, ac si venenum sumpsisset. Quendam canes ferre non potuerunt, perpetuò ei allatrantes, quos tamen ipse nihil moraretur. Fuit, qui solis ovis vivens, panibus, caseis, carnibus, piscibus &c. abhorrens mustelæ, inde nomen est adeptus. Aspectu solo pilularum, vel medicinæ purgantis, quidam fuit evacuatus. Vetulam in convivio, cum quidam conspiceret, non tulit, cumque vi cogeretur, pro mortuo elatus est. Feles adeò pertimiscunt alii,

Quid Antipathia.

ut quendam novi, qui in alio convivio à fele à Symposiarchâ per jocum arcæ incluso, tam vehementer concitabatur, ut non tantum in lypothymiam inciderit, sed ipsi sanguis violenter admodum ex naribus & auribus prosilierit. Quidam exanimatus ad capillitii compturam est. Inventus est, qui, auditâ cytharâ, non potuerit continere vesicam, quin profuderit urinam, pedesque perminxerit. Apud Hippocratem Nicanor in convivio, sub initium sonitûs tibiæ inflatæ, præ timore turbabatur. Equi contra, audito classico, ferociunt. Demohon Alexandri structor in sole vel balneo algebat, in umbrâ calebat. Quidam ad abruptum locum accedere non poterat; neque trans pontem ire, nec minimæ altitudinis scrobem, sed per ipsam. *Scribit Guainerius, se vidisse Ducis Sabaudiæ Medicum catapotia è Pharmacopolio domum ferentem, ab illis solo odore tam strenuè purgatum, quam si illamet catapotia deglutivisset. Et Antonius Musa eam in rem adhunc scribit modum: mihi usu venit, ut dum colocinthidem tractarem, &, præsentibus matre ac sorore, illam manibus aperirem, ego solo illius attactu, illæ vero odore, adeò soluti fuimus, ut nullius nostrûm fuerit, cui venter decies magna perturbatione commotus non fuerit. Ut & à Castro. Imperaveram cuidam Sacrifico catapotia, à quibus summè abhorrebat, nihilominus morbi, quo tum prehendebatur, status illa seriò exigebat. Cum autem ille medicam nostram schedulam tota die manu meditabundus gestasset, nihil magis cogitans, quam illâ catapotiorum sarcinâ se posse eximere & liberare, sub vesperam, dum pharmacopæum, urgente morbo, adire satageret, ecce ventris tantâ saburrâ est levatus, ut postridiè lætabundus medicam illam scriptiunculam ad me retulerit, dictitans gestationem illius septenæ purgatio-*

gatio-

gationis & dejectionis loco ei fuisse praecedente nocte.

Similium infinita ubique sunt obvia exempla, non tantum in hominum genere, sed & animalium plantarumque, ubi sunt illa de solsequiis herbis, arbore tristi, herbâ vivâ, seu, noli *me tangere* &c. quae omnia, ne nimis longus sim, sicco pede transeo. Aliquando per satis longum intervallum effluvia corporum ad se mutuò insuper operantur: ut patet in sulphure, quovis alcali & aqua cocto, carbonibus fossilibus incensis, cadaveribus uti nil nisi cinamomum, caryophyllos, nucesque myristicas fumantibus saltibus, nil nisi ambram littoribus Indicis, & similibus foetidis vel fragrantibus, quae ad multam distantiam exhalando se produnt; & cuique appropinquanti, secundo vento, obviam feruntur. Cum tamen extra effluxum seu planè, seu validum passibile corpus existit; passio non fit: *Sunt* enim *terminatarum rerum virtutes terminatae*, idque pro cujusque modo: veluti quibus uterus à moscho subsilit, aut deprimitur à castorio, si extra horum profluxus & odores sint, desinunt ita pati, aut non turbantur. Itaque frivola atque cachinnis digna est hodiernorum mystarum sententia, qui in hopliama nescio quid magneticum, etiam ad insolitam distantiam, & adverso aeque bene, quam secundo vento, producunt efficaciter, atque per urinas aeque certas efficiunt curationes, quam sui praedecessores (tum suis vicibus etiam Mundi deceptores) per constellatas atque magneticas suas mumias in unguentis armariis per aliquot milliaria vulnera sanarunt. Quod autem confugiant ad nescio quam animam mundi, ad Spiritûs, caelique influentias, hominum videntur apertis oculis somniantium figmenta. Sed quis incredulus tandem his fidem derogare auderet?

Sympathiae curativae fraus & vanitas.

ret? ſiquidem Arcanorum Monarcha Paracelſus pridem ſomniavit ſua myſteria eſſe prudentia, ſcireque, quæ debeant invadere, quæ omittere. Exempla etiam præſtò ſunt: curationes populus vidit, Notarius atteſtatur, admirantibus minus peritis, & certantibus interim inter ſe de miraculi poſſibilitate, cauſâ, modo, ratione &c. Medicis. Ego vero contra has vulpeculas ſic vulpinabor: jactatis veſtra operâ graviſſimos quoſvis morbos, ſolummodò laborantium urinis medicinam faciendo, curatos, quas inſuper oſtentationes populi ſuffragiis ſancitas non diffiteor: ſed ſanant interdum Agyrtæ. Si interroges; fortuitò nè an ſcienter? videntur ſibi ex arte ſanaſſe: ſed cum notas exigis, falſos deprehendis. Plebs dicit: vidi. Imo vero vidiſti, inquit artifex: ſed quid à bove diſtas? vidi, ut homo, reſpondet. At & ruſticus ita videt. Alia enim viſio eſt Artificis; alia imperiti; alia viri prudentis; alia imprudentis, alia viri gravis, alia levis: ſæpiſſimè enim fit, ut ignaviora, tarda, infauſta, imò mediocria ingenia, abſque ullo prævio examine, inſuetum quodvis inſtar prodigii habeant atque mirentur, mordicùs porrò hujus vanæ admirationis lateri inhærentibus, phantaſiâ imaginationeque forti, quibus mediantibus, admirata etſi inania, ficta atque multum falſiſſima ſint, pro veriſſimis aſſumant credantque, à quibus etiam conſequenter eorum ſpiritus animales eodem modò, ac à revera præſentibus imaginatis, afficiuntur; hinc motus, turbæ, fermentationeſque in humoribus mox excretiones ſeceſſioneſque à circumferentiâ ad centrum & viciſſim à centro ad peripheriam, ita ut confidens, ſuperſtitioſus timiduluſque æger, id, quod ſolum propriæ imaginationi acceptum haberet referendum, otioſo, prorſus, nihil agenti, ac in ſinum ridenti, tribuat Agyrtæ. In

Si remedium Sympatheticum unquam humores turbaverit, hoc nequaquam vaniſſimo remedio, ſed ægrotantis imaginationi eſt adſcribendum.

In genere inveniuntur, qui myſteria ubique, ſunt qui nullibi admittunt, ſunt quibus nihil placet, quod non videatur abſconditum & obſcurum, ſunt qui tenebras amant, ſunt qui magis gaudent luce. Quod ne cavillandi ſtudio dixiſſe videar, præter cordatorum Iliada, quibus ad bruta ejusmodi fulmina jam dudum occalluit animus & immoti inſenſileſque inceſſanter laboribus ſudoribuſque ſeſe frangentis Sympatiſtæ, non miſerentur; Egòmet pridem ipſis obtuli, & offero ejuſmodi, toties tantumque quantum voluerint, humoris excrementitii, per quem ſi eorum aliquis mihi ventriculum vel alvum ita movere norit, ut vomitus ſedeſque ſequantur, me illum non ſolummodò magnis encomiis elaturum; at ſuum hoc vomitorium purganſve ſat carè, vel ad placitum, ſoluturum. Sed vah impoſtores! inter dicere & facere magna intercedit differentia.

Quare idem remedium, quod aliis tanto ſplendore, ut aſpiret ad faſtigium admirationis, vultis commendabile, ipſi ſpernitis ægrotantes, ac ad vulgata probataque advolatis? Inter alios enim idem ille, cujus ergò in celebri hujus Provinciæ Emporio nuper ſcriptis digladitati ſunt Medici, haud dudum ægrotans, ſuiſque diffiſus ſecretis, hujus civitatis Medici operam imploravit, liquidò (me judice) hoc facto palam faciens, quanti fecerit, urgente neceſſitate, ſuum vanum ac anile commentum. Jam vides Lector, quomodò hæc Thraſonicis principiò myſtarum jactationibus quadrent, & quo pacto indomabilia Medicis morborum monſtra præſertim veſicæ calculi, ut magno hiatu effutierint, ab his Sycophantis fugentur & fundantur; potius ut ſibi perſuadeat quiſque, tanquam exploratiſſimum, rogo: Nullum eſſe in tota naturæ ſphæra

remedium ad conterendos absolutos vesicæ calculos satis efficax, habendumque pro Sycophanta ac impostore quisquis quomodòcunque; pessimè verò de hujusmodi ficto & vano præsidio arroganter gloriari præsumpserit. De cæteris pertinacia huic non valdè dissimilibus, ut hydrope, tabe, arthritide &c. saltem quoad inane fictumque hoc arcanum, nec alia mihi mens est. Dicta hæc mea cotidiè, ab eventu mendacii promissiones insimulante, comprobantur, tandemque hic ex musco Elephas, in muscum revertitur, & quos irata natura genuerat fumivendulos, iterum cum prodigiosis miraculosisque suis sanationibus, consensibus ac dissensibus (nam experientiæ præstantiumque Medicorum & Philosophorum autoritati repugnare neutiquam cupio) in fumos abeunt & evanescunt. Non extra oleas jam esset Dygbæi sequaciumque, Isaaci des Hayes Med. Sedanensis &c. infantem de hac colus Philosophiâ opinionem investigare ac refellere; varios pulveres Vitriolicos seu Sympatheticos, tam simplices quam compositos, describere, & quod recentibus excrementis vel pure, sanguine, spermate, candenti ferro vel glacie tactis vulgò somniatur, hìc referre; sed quia res tenuis admodum est & indigna longis rixis, præterea quod alii in hisce dudum desudarunt, secundum hoc: *conturbat audientem, quod frequenter dicitur*, supersedebo. (Priusquam tamen ad alia transgrediar, verbo monendum venit, quod, dum hæc conscripseram, mihi postea nata sit occasio nostri Sympathetici Gallici, aliorum nimis vanos conatus improbantis, familiaritate uti; quem humanissimum honestissimisque moribus Juvenem comperi; jam exspecto, flagito, summoque trahor desiderio tentatæ suo more curationis in notissimis mihi quorundam affectibus videre eventum, qui si promissis par atque fe-

felix faustusque sit, veritati victas lubens dare manus statuo, promitto & ore & calamo divulgabo.) Quod dum avidè exspecto, ecce mihi hanc rem intento, admodum curioso, & dudum anxiè in Sympathiæ abstrusa perscrutanti, tandem se nuperrime obtulit honestus quidam hujus urbis civis, cui noster hic Sympatheticus per sat longum tempus suo more medicinam fecit, qui mihi candidè confessus est, quod quodam tempore ab ipso antea præmonitus, ut tempestivè cubitum iret, &, se, probè stragulis tegendo ad sudores & somnum componeret, per tres continuas noctes, absque ullius Pharmaci assumptione, valde sudaverit; quod hic sudor nocturnus gradatim augeretur, ita ut tertiâ nocte sudoribus quasi diffluere, & parumper à suo morbo levatus videretur. Mihi porrò roganti, an unquam, ipso præmonente, vomuerat, vel alvum deposuerat? regerebat, nunquam: sed è contrariò, quod præterlapsis aliquot hebdomadis, ad ipsum, de novo, suo morbo chronico & periodico laborantem, accessit Sympathista, illi persuadens, ut ipsi urinam mitteret, & se, ac antea, ad sudores componeret, hoc se dicto audientem, fecisse, sed incassum, sudare non poterat, licet urinam suam expetenti Sympathetico, eam nunquam denegaret. En Sympatheticæ curationis incertitudinem! Hac narratione nondum contentus hic divulgabo, quod nuper ipse tentavi: varia videlicet vitriola, diversisque modis, secundum mentem eorum, qui de Sympatheticis curationibus scripserunt, præparata, propriæ meæ urinæ, haud uno tempore redditæ, admiscui, & in diversis phiolis, partim apertis, partim clausis, in digestionem posui; interim dum effectum aliquem, jugiter in rem attentus, vehementer efflagito, parvam nauseam ventris dolore conjunctam persen-
 tisco,

tiſco, ſolviturque unà mihi tum ſtrictior alvus, obſtupeſco, ſed brevi iterum mirari deſii, poſtquam recordabar, me ſæpius antea, poſt prævia ventris tormina, liquida dejeciſſe. Poſt octiduum laborem cum propriâ, & quorundam familiarium (ipſis quod agerem inſciis, quod notandum) urinâ repeto, ſed fruſtrà & vana hæc tentata fuerunt molimina: nec ego, minus ac antea in rem attentus, & in reverentia verſus hoc myſterium frigidior ac negligentior: nec alii, quibus latebat quod ego moliebar, nihil prorſus ſenſerunt: idcircò jam æque incertus, nec minus ac antea dubius, circa adeò famoſas hodiè Sympatheticas curationes, hæreo. Sed poſito & non conceſſo, quod ſudores & alvum moveret per Sympathiam curatio, (quod & infinita alia poſſunt remedia) an igitur exinde ſequeretur, ſpecialium pertinaciſſimorum morborum curatio? vel ſi vitriolum aliquid ſpecifici, balſamici & anodyni, præ aliis remediis habeat, quare non potius per os aſſumptum, quam in urinâ, immenſum ſubindè diſtante, ſuas vires oſtendit? Accedit, quod hi invidiâ inter ſe ardentes artifices, ſe invicem convitiis proſcindant eum in modum, ut quidam ſe Baronem de Almerigo nominans, in publicis novellis, cæteros præter illum omnes Sympatiſtas, (ſit venia verbo) impoſtores & ſycophantas eſſe, declamet, ſimulque moneat, ut unuſquiſque ab iis, tanquam talibus, ſibi caveat. Non hæc tamen refragantur occultis rerum quarundam qualitatibus, nec aſſerentibus oculatiſſimæ huic ætati nullum non apertum eſſe aſſentantur: nimis enim arrogantis ſunt hodierni rerum contemplatores, qui ἀῤῥήτυς toti antiquitati dictas ποιότητας ſibi manifeſtas aſſerunt, & craſes inſcrutabiles tam expeditè ſibi videntur noſſe, acſi inter domeſticos Reginæ Schebæ ex ore dictitantis Salomonis

lomonis carpsissent. Hujus celeberrimæ hodiè doctrinæ Instaurator ac Princeps peritissimus, impigerque fortunæ suæ faber, verborum pondera & acumina mire callebat, ita ut ipsi perfacilè fuerit avidissimè nova appetentibus suorum Dogmatum tincturâ imbuere, prærogativa præcessoribus detrectare, denique sese sequentis Plinii. S. de Asclepiade Encomii: (*id solum possumus indignari, unum hominem è levissimâ gente, sine opibus ullis orsum, vectigalis sui causâ, repentè leges salutis, humano generi dedisse*) participem reddere. Facile quidem est, imò egregium & belle multis, jam præjudiciis infantiæ extricatis (ut eorum more loquar) videtur, de imaginariis, omnisque materiæ, formæ, motûs &c. capacibus particulis (à priori vocant;) de Orbis circa Solem in gyrum motu, Terræ motu, Iride, Cometis, Solis maculis, Trium Elementorum Materia, Loco, Vacuo, Luce, Colore, Calore, Frigore, Motu, Quiete, Gravitate, Levitate, immensis Vorticibus, recedendi à centro Conatu; Re cogitante & Extensa separatim vivente, Motu locali, Glandula Pineali seu Sensorio communi, Magnete & similibus multa præcisè disserere, in tam sublimibus animum pascendo sibi placere, & pro juvenili ardore admodum disputaturire, de verissimis & sensibilissimis dubitare, de abstrusis verò, tanquam de presentibus, argutare, & copiosè, & sine judicio de iis, quæ nescimus, garrire, spreto veterum Sapientum præcepto: *Ne inducito animum investigare causas omnium eorum, quæ experiris:* etsi enim experientia & ratio inter se non pugnent, sæpe tamen usu venit, ut nos fugiant causæ rerum. Ad amussim tamen ejusmodi Philosophi omnia atque dilucidè expedire volunt, persuasi Naturæ pinacothecam suæ corpuscularis Philosophiæ clavibus semper patere. Risit hos dudum

Plin. l. LXXVI. c. 3. de Asclepiade Medico & Oratore.

Lactantius LIII. cap. XVII. de Epicuri corpusc. his verbis. *Hamata esse oportet, ut possint invicem concatenari.* Doctrina hæc ab aliquot annis, quidquid pubis literatæ est, ad se traxit, & vetustissima licet; quia ex Galliâ, quotannis Christianum orbem novis adornare solitâ, pro novâ avidè recepta religionisque instar culta est. Absit igitur quod hanc adamatam meæ limæ censoriæque virgulæ vellem subjectam, dudum super omnem elata invidiam est. Egomet olim hujus verisimilitudini victas dederam manus, seriò nihilominus mecum de hisce Μεγάλαις subinde ruminando, scrutando porrò, veritatis trutinâ pendendo, tandem affabrè commenta vetero-nova detexi dogmata, jure meritò fictis antiquorum Heroum Gigantumque historiis & deliriis (vulgo *Romans*) comparanda, quæ etiamsi multò falsissima sint, tritumque sequens omnibus in propatulo sit:

De argutulis supra alios sapere volentibus.

Fæmina dum plorat, dum rusticus ebrius orat,
Mercator jurat, nemo credere curat.

Nihilominus vulgò Lectorum affectus passionesque sic concitant, ut eorum quidam postea nil, nisi hyperbolica facta, meditentur; saltem qui jam irâ exardent, mox pavore congelantur, primum lætitiâ perfusi, modò in lacrimas solvuntur; ita ut hæc ingeniosè ex mendaciis consutæ fabellæ suis hyperbolis atque veri specie apud multos, majoris verissimâ quavis, sed simpliciter descriptâ historiâ, æstimentur. Quantum, & in quibus jam hæc icon rei ipsi conveniat, omnibus æquis Lectoribus, quorum oculis cataracta præconceptarum opinionum veritatis acu depressa sit, dijudicandum trado; licet litem ipse dirimere videatur hæc providens metuensque Autor & Antesignanus his verbis: *Me verò fortasse*

tasse fallit opinio, nec aliud est, quam orichalcum & vitrum, quod pro auro & gemmis hic vendito. Sed devius vix in viam redeo, quin protinus probris lacesser, quod vastatum ignorantiæ asylum, *Qualitates Occultas* de novo erigere studeam, & quavis alia ratione validâ destitutus, adhuc exoletas, olimque ab ignaris excogitatas, obtendam Occultas Qualitates, quod nihil aliud, quam suam inscitiam specioso tegere velo; quæ, similiaque plura novatorum Veterani semper in ore habent, obliti sanè Symboli, quod in suis circumferunt vexillis, scilicet: Cartes. Dissert. de Method. Pag. m. 2.

Nihil magis præstandum est, quam ne, pecorum ritu, sequamur antecedentium gregem, pergentes non qua eundum est, sed qua itur. Aliis hoc sedulum invident examen: sintne eorum tramites, veteri viâ regiâ, ad veritatis Sanctuarium propriores? Tandem, ut rem in pauca conferam, sequenti humili sermone spinosæ ac arduæ de Occultis Qualitatibus quæstioni valedicam. Senec. cap. 1. de beata vita.

Sicut inter tot hominum myriades vix duos invenias indiscretos per omnia, vultu duntaxat: præterquam, quod rarissimè, vixque ex mille millionibus duo elocutione, incessu, & gestibus, imò manibus sese invicem ad amussim quadrent, quod maximum Maximi Naturæ Conditoris artificium atque secretum, ad societatem humanam conservandam, utilissimum est: (nam malorum Ilias ipsaque dissipatio generis humani sequeretur, si sese non internoscerent homines.) Ita necesse est statuere, cuique suam esse dispositionem, ob quam certo modo ad res certas affici possit, in quibus tamen non queas dicere, quibus, quomodò & quantis conspirationibus fiat effectum. Nos contenti sumus scientificorum consectariis & probabilitate aliquâ. Litigent

porro

porro inter ſeſe pertinaces literarum Veterum cultores cum Novatoribus, ſint Illi quoque circa rerum vocumque minutias, ne dicam ineptias anxiè curioſi, nil moror ad reliquam adhuc quæſtiunculam feſtinans: Poteritne quis præter alios aliquod probatum ad quoſdam morbos habere remedium? (Nam hodie hæc ſecretorum vel latrinarum cacoëthes totum implevit orbem medicum, ita ut præter Medicos vix pharmacopolium vel tonſoris officina ſit, quin prætendat aliquot ſingularia arcana, ſub quæſtûs jacturæ pœnâ nemini revelanda, eſt enim hoc hominum & tonſorum genus mirè in jactantiam pronum.) Quantum ad poſſibilitatem reſpondeo affirmativè, conſcius, quod nonnunquam in vili admodum re plus virium lateat, quam in prætioſis gemmis & margaritis; etſi mihi in hiſce valdè infelici, ſimile quid, ſcil. quod in omnibus infallibile eſſet in vita, nunquam videre contigit; fieri tamen poſſet, aliquem excogitaſſe quoddam medicamentum, quod multa in multis, non tamen in omnibus experientiâ probatiſſimum ad ſibi adverſos morbos compertum haberet remedium: Sed propter conjunctas fraudes, quia inter mille probatiſſimorum titulo ſuperbientia vix unum promiſſis ſatisfaciet, tutius eſt hujus farinæ omnia contemnere, & ex prædivite Medicinæ penu à Doctiſſimo Expertiſſimove quovis millies probatum Remedium ſeligere, atque ipſe ejus periculum facere; quam ſpe unius veri mille falſa experiri.

De remedio polychreſto.

Modeſtiores videri volunt, qui tantum unum alterumve uni alterive morbo Catholicon jactant: E. gr. ad febres intermittentes plurimi plurimis gloriantur; utplurimum, ut promiſſi reſpondeat eventus, Peruvianum Kinæ corticem omnis formæ, coloris & conſiſtentiæ larvâ occultant, & purgantium ſudorificorum ſeu narcoticorum

Catholico.

ticorum admixtione, optimum hoc Simplex reddunt Compositum, atque infami Proteo simile: obstinatè tamen & perquam callidè semper contrarium protestantes, id est facere volunt, factumque confiteri nolunt: nec mirum, quia sui arcani naufragium, comites famam & lucrum secum ad fundum protraheret: Nam hoc Ecclesiastis cap. x. 19. Oraculum: *Pecuniæ obediunt omnia*, altius suis cælatum cordibus est, quam cæteri omnes S. Sanctæ Scripturæ Textus, omnesque, quas unquam audiverint, Paraphrases atque Conciones.

Tandem possem ex hac avaritiæ fodinâ plura effodere, atque veritatis igni subjicere, sed non libet hanc camarinam diutius movere; Mundus enim deceptionibus gaudet & delectatur, contraque omnem monitum vulgò optima fastidit, & pessima vel violenta quævis appetit.

Revelent igitur Arcanorum Mystæ sua mysteria, non nisi Magnatibus diebusque festis, obtrudantque amore nummi fastidiosis & delicatulis hominibus inefficacia sua secreta, pro validis utilibusque Medicinis, præcipitentque eos in Charontis cymbam, (quod doleo, sed impedire non valeo) onerentur præterea quotidianæ novellæ artificiocissimorum istorum, per nescio quam Sympathiam, absque medicamentis morborum curationes jactantium, turmis; Præstat sanè tritis longoque usu probatis uti; probata etiam probatis magis placent. Mihi saltem optima sunt remedia quæ minimè sunt secreta, sed notissima, utpotè certiori experientia confirmata.

CAPUT V.

De Uroscopis seu ex matula Hariolis.

INter maculas, quæ decoram Medicinæ faciem de fœdarunt, non ultima est, ex sola Urinæ inspectione, absente licet ægroto, fraudulenta Vaticinatio; qui error atque abusus Arabum Sectatoribus olim familiaris, etiam hodiè satis est vulgaris, ita ut vix Medicus is ab insulso populo credatur, qui ex Urinis morbos, eorumque circumstantias ac eventus dignoscere nequeat, & licet pessimus hic mos omni ætate acerrimos habuerit censores, inter quos *Actuarius*, *Forest. à Vega*, *Fuchsius*, *Sennert. Heurnius Willis.* &c. non infimum teneant locum; inventi sunt & olim, inveniuntur & hodie ejus propugnatores acerrimi *Gordonius*, *Joël. Fernel. Fontan. Hercules Saxon. Massar. Plemp. Zacut. Antonius Eygel* (qui ingens de Uromantiâ Tractatum ante annos aliquot congessit) qui causam sustineant, nullum non lapidem moventes, eum in modum, ut illorum quidam alios quomodò Populo fraudem facere, ab illiusque astutiis sibi cavere possint, doceant & demonstrent; cujus scholæ discipulus quondam ab alio interrogatus, quidnam ex matulâ videret? facetè respondit, solidum, id est sex assium nummulum. Ridicula sanè, attamen veritati consona, responsio, longè superans omnes de Uromantibus anilium fabellarum myriades, quas tamen nil nisi prodigia spirantes Superstitiosi constanter credunt: ut E. gr. quod pridem hic *Leidæ* factum narrant: Mulier urinam, à decem studiosis in unam matulam redditam, famoso tum temporis Uromanti Anglo offerebat inspiciendam, qui, prius-

Historiolæ instar literarum commendatitiarum, ab ipsis Urinarum inspectoribus ad inventæ.

priusquam suum ederet oraculum, tot solidos scil. tres florenos, pro uno quoque unum, ab illa petebat. En aliud: Ancilla quædam Dominæ suæ urinam ad Medicum deferebat, cumque forte spargeretur, ignara demum quid factura esset, vaccæ, tunc fortè mingentis, urinam vase exceptam defert ad Medicum; Respondet ille, ægrotantem nimium vesci herbis & graminibus. Simile quid: Rusticus Dynastæ sui urinam Uroscopo allaturus casu bonam ejus partem profundit, quod damnum ille, denuò tantumdem in Urinale mingendo, reparat; Mixturam hanc Rustico-nobilem mox inspiciens Veterator, hanc promulgavit sententiam: nisi tuus supernatans humor redeat in tuum corpus, egregiumque haustulum ex hac matulâ ebibas, nil boni vaticinari possum, brevique tuus Dominus moriturus est. Agyrtæ quoque obtemperavit, domini misertus, trepidans idiota. Ejusdem farinæ fabella: De nuperrimè demortui superstite urinâ sibi ostensâ, pronunciabat alius: probe serva tibi hunc spiritum pro collyrio, quoniam vas ejus distillatorium jam fractum est. Tandem præcedentibus hanc narratiunculam annectam, nugis his valedicturus. Cuidam de ditissimi fœneratoris urinâ tres asses offerenti, exprobravit alter: quod ad ægrotantis urinam sanguine & sudoribus aliorum hominum permixtam solam, ac ab his secretam rectè inspiciendam ad minimum centum aureos mereretur. Laude dignissima sanè medicorum solertia, qui talia divinare, conjicere, ac vaticinari potuerint! Attamen fabulas has esse constanter affirmo, quia easdem, variis in Regionibus ac locis, de diversis Medicis & Agyrtis, audivi; tum quia semper defuncto cuidam medico &c. cui similis, si Dis placet, superstes non extat, nunquam vivo adscribitur. Nec magis me movet quod

Diogenes Laërtius & *Suidas* de *Democrito* testentur, scil. quum ad eum *Hippocrates* venisset, jussisse eum afferri lac, eoque inspecto dixisse, & *capellæ primi partûs, & nigræ est.* Sed & puellam *Hippocratis* comitem, primò die ita salutasse; *salve Virgo:* postridie verò, *salve mulier:* fuerat enim puella nocte illâ vitiata. Quoniam illa ætas fabellis admodum turgida erat, hæc, stupenda aliàs, apud me ejusdem, ac præcedentia, pretii sunt. Sed plebeculæ sæpissimè per Uromantes fraudes factas, facilius crediderim; Sic *Forestus* cujusdam meminit, qui ex herbis matulam obturantibus noverat, per quam urbis portam Rusticus intraverat. *Beverovicius* de alio refert, qui ex lapsu vulnerato Rustico, præcisè indicavit, à quot gradibus corruisset. Nec mirum; præsciverat enim nebulo, quot gradibus vulgò ad Rusticorum super cellas conclavia ascendatur. Ad inspectam, cujusdam Præsbyteri, (apud vulgum abstemii, interea clam poculis faventis, quemque jam consanguinei convivio nuptiali interfuisse sciebat,) febricitanti similem Urinam, alter declarabat ærusсator: hominem crapulâ, non, verò febri laborare.

Similium plura referre possem, nî jam narrata attendentibus sufficerent, saltem abundè confirmarent, quam vafrè veteratores Uroscopi Populo fucum faciant. Si horum Mundi Deceptorum prognostica ejusdem effectus essent ac Vatum Chiromantumque Chinensium (de quibus testatur Olearius: eorum prædictiones à Populo tam certò credi, ut non pauci, cum ipsis vaticinatur morbus, eodem tempore ex pavore ægrotent, atque haud raró moriantur, quibus tum horum Divinorum auctoritas apud alios tantò magis confirmatur) majorem profectò stragem ederent:

Sed

Sed, Deo gratias, terror panicus, germana servitutis proles imbelli Asiæ, quam forti Europæ magis popularis est, nec tanti hic Uromantis super matulam Oraculum penditur, ut Phantasiâ metuque alicui vitam extorquere, prægnantique fœtum dissolvere & annihilare queat. Nam, ut de multis taceam: quandam, cui tum temporis medebar, jam sex menses meo ac proprio judicio gravidam juvenem mulierem, contra cujusdam hic etiamnum degentis, ipsamque ex matulâ neutiquam uterum ferentem asserentis uroscopi sententiam, solito tempore sanum & quidem masculum infantem enixam esse, mihi, pluribusque adhuc viventibus aliis, in propatulo est. Ipse ego curiosus aliquoties huic ipsi per incognitas aniculas urinam misi; aliquando una vice redditam in duas partes divisam: sed jucundum auditu est, Lector, quam generalia, æquivoca, dubia, vana & de eadem in duabus matulis urinâ toto cœlo diversa, pro meis quatuor stuferis semper ediderit hoc oraculum. Idem ille, haud ita pridem cubiculum cujusdam ægrotantis intrans, vitrum cum cerevisiâ, quod fortè ibidem stabat in mensâ, avidè & præcipitanter arripuit, suaque consueta, veluti super matulam, oracula, (in sinu interim ridentibus adstantibus) seriò pronunciavit: tandem ab honestâ & ipsius miserta matronâ tum præsente (quæ & mihi postea fabulam narravit) melius informatus, indignabundus & pudore suffusus, renitente licet factoque excusante matrefamilias, abiit. Cæterum nostri hominum illusores utuntur illâ arte, ut argute attendant ad articulos masculini vel fœminini generis & plurima rogari curent per servos, uxores, ancillas &c. quæ auribus postea excipiunt latentes post tabulas.

Fraudes Uromantum.

Aliquando callidè ex ore ipsius dicentis morbum expiscan-

piſcantur, qui mox (inſtar facinoroſi ſuorum ſcelerum catalogum, quæ ipſe tamen, antea judici confeſſus eſſet, audientis) propter Agyrtæ, uti ille propter judicum quaſi omniſcientiam obſtupeſcit. Tandem hos garrulos, & judicio urinarum glorioſos, multiloquio facundos, in ratiocinando exiles mutos ac jejunos aſpiciens, de juvenis apud Eraſmum ad Echum problemate cogito; interrogando: Magnum quiddam pollicentur, qui è ſideribus & futura prædicunt Aſtrologi. ECH: Λόγοι. Idem enim illud noſtri Uromantæ faciunt, nil dant præter verba; nil præter fumum diſtrahunt &, quod caput eſt, plurimos nebulones, qui medicinam impudenter faciunt, accerſitos ad ægrum, ex cujus urinâ morbum anteà plenè explicuerant, non ſolum ſententiam mutaſſe, ſed nec amplius morbum dignoſcere potuiſſe, etſi & urinam & ægrum haberent præ manibus, probè novi. Omnibus igitur bonis ac probis optandum foret, ut hæc aliquo modo à me depicta Uromantarum praxis, utpote emunctoria & falſa, nullibi tolleretur.

Eraſm. Colloq. p. m. 489.

Sed jam inſtituti ratio me monet, ut quam potero, exactè ac breviter, indagem: Primo quid, ac unde ſit, quomodo variet, quando excipienda ac inſpicienda ſit Urina. Secundò quidnam Urina ſignificare poſſit, quid ferre recuſet; quapropter tertio ejus inſpectio planè inutilis non ſit. Lotium igitur eſt humor ſeroſus magis minuſque aquoſus, lixivioſus, nitroſus, colore, odore, quantitate, conſiſtentiâ, contentis, diverſiſſimus; vel urina eſt excrementum ſeroſum à ſanguine in renibus, cum multo ſale ac aqua, pauco ſulphure, fæce limoſâ terreſtri & ſpiritu per ureteres ad veſicam delatum, donec convenienti tempore & loco, excernatur. Venit humor ille cum ſanguine, quem diluebat,

De legitimâ Urinæ inſpectione.

bat, ad renes, per arterias renales. Tranſcribatur verò ab illo tanquam ſuperfluus, & quidem continuò, ſicut ſimul continuò ſanguinis pars ad renes pellitur, gratiâ nutritionis. Variant Urinæ etiam in ſanis, ratione Temperamenti, Sexus, Ætatis, Aëris, Anni temporis, Somni, Vigiliarum, Exercitiorum, Animi affectuum, Victus, Medicamentorum, & ſimilium. Opportunius & magis Vulgare ad Urinam inſpectioni inſervituram excipiendam matutinum, ſcilicet circa diluculum tempus eſt. Tota quoque ac unâ vice emiſſa ſimul excipienda eſt, nec, antequam ſubſederit, judicium ferendum. Porrò, quo loco obſervanda, & an etiam turbata ſit inſpicienda & quomodò, in quo vaſe, & qui tenendo, frigida an calefacta, &c.? ad nauſeam Autores:

Ad problema ſecundum, quid ſignificet vel non ſignificet urina? dicam quod etſi multorum mentibus altè inſedit falſa opinio, ex ſolius urinæ inſpectione, omnem omninò ægri conditionem, & quid mali intus vel extra quâcunque de cauſâ patiatur? an æger vir vel fœmina ſit? An mulier gravida nec ne? cognoſci poſſe: tamen talia ex urinâ divinare, extra artis & Medici poteſtatem ſunt. Omnes enim morbi & affectus ex ſolâ Urinâ perſpici non poſſunt: cum dentur multarum partium morbi, ut morbi capitis, Vertigo, Epilepſia, Febris quartana, certæ partis Vulnus, Paralyſis, Luxatio ipſaque terribiliſſima mortalibus Peſtis, & multi alii, qui nihil Urinam alterant, & de quorum cauſis Urinæ nil permiſcetur:

Multi morbi urinam ipſam non alterant.

Sanguinis verò temperies ex Urinâ, quaſi ex ejus excremento univerſali, aliquo modo dignoſci poteſt; maximè tamen conſtitutiones ſive bonæ ſivè malæ partium earum, à quibus Urina habet ſuam perfectionem & ge-

Quid ex urina videri queat.

& generationem aut affectionem aliquam; puta viscerum concoctioni inservientium Cordis. Renum, Vesicæ, & meatuum, per quos urina defluit, ex Urinis dignoscuntur; cum si quid in viis, per quas Urina transit, præter naturam contineatur, id facilè Urinæ permisceri possit.

Hipp. 1. aph. 12.

Problemati tertiò legitimam Urinæ inspectionem non planè inutilem statuenti, attexam hoc Hipp: Effa um. *Et urinæ, cum apparent, vel judicatu faciles, vel difficiles, vel breves, vel longos morbos fore indicant;* idcircò de morbi conditione ac eventu, præsertim (ut jam dictum est) de affectibus Renum & Vesicæ urinam quid certi prognostico indicare posse extra controversiam est. Sed urina non semel, sed sæpius inspicienda est, bis terve enim in die variat, aliamque personam induit; & sicut in diversis morbis diversisque ægris, eadem urina apparere potest, ita in uno eademque ægro varia est, & singulis diebus immutatur, ut, si hodie urina ægri Medico offeratur, iterumque die sequenti, nisi aliundè morbum cognoscat, vix ejusdem morbi urinam esse pronuntiabit. Imo alia est in principio paroxismi, alia in augmento, alia in statu. Eâdem quoque Urina in contrariis morbis apparere potest, quamvis à contrariis diversisque omninò causis pendeant. Quantoperè igitur errant, risuque digni sunt, qui de Urinis per plura milliaria allatis, (ut Arenaco &c. ex Gelriâ huc Leidam missas memini,) temerè judicant, ac mira deblaterant. Inquirendum ab ægris vel allatoribus, si adferatur Urina, ex aliis locis, an sic semper sibi similis sit? utrum urina sit viri aut mulieris? utrum æger lecto decumbat, aut adhuc obambulet &c.? sin minus, nil temere de eâ pronuntiandum est, antequam historiam morbi recitent. Præterea,

non

non obstante hoc præcepto, prudens ac sedulus Medicus, ut tutò ac cautè agat, verumque habeat signum pathognomicum, plura signa conjungit, propius observans, an alia signa ac symptomata cum urinis consentiant: sola enim urina fallax nuncia & æquivoca est. Aliquando etiam, ubi morbus est in propatulo expositus, neque urinam, neque pulsum curat Medicus.

Tandem nunquam ex solâ absentis urinâ prorsus de ejus valetudine est judicandum; perarduum enim est, non tantum incognitis, sed & absentibus, quorum temperamentum Medicis incognitum, quibuscunque in morbis ex solâ lotii inspectione consuere, minus multò ipsi efficacia medicamenta, forsan suo morbo à te conjecturato magnoperè dissimili, nocitura, præscribenda: sed potius de omnibus rebus non naturalibus simul; ut fiat verum de morbo judicium; interim sanctè confitentes, quantum sit quod nescimus. Qui his adversantur, Medici nomine indigni atque ad fallendum populum compositi Agyrtæ sunt, plura sed incassum pollicentes, quam Medici ingenui præstare possint. Præterea ea, quæ isti fortè vera dicunt, præ cæteris, quæ mentiuntur, non sunt pars millesima.

Contemptam idcircò apud vulgò, si quis alius, reddit Medicinam maximoperè Uromanta, si enim non accuratè teneat (quod facere nequit, ut in præcedentibus demonstravi) utrum urina oblata sit hominis aut bruti, viri aut mulieris, fœminæ imprægnatæ aut non imprægnatæ, infantis, juvenis aut senis, sese derisui exponit, & insons Ars Medica propter illum despicitur: at hæc quotidiè fieri, lippis ac tonsoribus notum; à subdolis enim nunciis, pro hominis urinâ, vel jumentorum, vel aliud genus liquoris offerentibus, uroscopos

ſæpiſſimè decipi, nemo negabit; quam ob cauſam cavillationibus in Medicinam & Medicos liberius invehendi, eóſque proſcindendi, datam eſſe occaſionem, quis non videt? Præſtaret ſanè exiguo preciolo carere, quam hujuſmodi curioſulis irriſoribus gratificari & ludibrio ſeſe exponere.

Jam reſtat, ut verbo moneam, cum grano ſalis intelligendam eſſe cujuſdam Scriptoris Medici in alios Medicos de hac materiâ invectivam orationem. Quod autem illos ignaros & faſtuoſos vocitet, qui urinas nequaquam inſpicere velint, tyroneſque ab ejus inſpectione deterrere ſatagant, cum ipſo ſentio; & ſi tales in rerum naturâ ſint, eos ego etiam contemno, nec pluris divinatoribus uroſcopis facio: Sed probabile non eſt, ullos unquam fuiſſe Medicos, (ſaltem tales nunquam novi,) qui omnimodam U. I^nem rejecerunt; hariolorum verò ac Uromantum turba omnibus ætatibus implevit, & etiamnum implet univerſum terrarum orbem. En differentiam! diſcrimine igitur & judicio Lectores, antequam huic illive opinioni vel parti aſſentiamini, ut in hujus libelli limine inculcavi, tam antiqui quam recentiores Autores legendi, invicem conferendi, & veritatis rationiſque bilance ponderandi ſunt.

CA-

CAPUT. VI.

Cæteri hodiernorum Medentium Ordines depinguntur.

Quid honos & divitiæ in elevationem quorundam hominum ſupra vulgus conferant, omnium gentium temporumque hiſtoriæ ubertim teſtantur, lippiſque ac tonſoribuſque notum eſt. Pauperis è contrà *ingenium nullum, nulla ars, nulla artis gratia, nullus honos.* Teſtes mihi tot tantique Theologi, Juriſconſulti, Medici & alii, quibus contingit hanc ſpartam adipiſci, hoc Capitolium conſcendere, rerum civilium ardua & arcana noſcere, Imperiorumque Gubernacula tractare, & qui idcircò à Vulgò, non ſolum uti oportet & decet, ſuſpiciuntur, ſed præterea eorum in ſtudiis eruditio & peritia ſuper aliorum privatorum ſtudia longè extolluntur, ita (ut Theologos Juriſque peritos tranſeam) ad politicam dignitatem promotus quis Medicus, mox inter ſuos Collegas Medicos elucet, ut *Reliquis Heſperus ex Aſtris* & magni Medici nomen non ſolum titulo-tenus eum, ſed omnes, favorem ejus captare ſtudentes, revera ſequantur. Medici ad politicam dignitatem promoti.

Simili ferè privilegio gaudent, licet in propria perſonâ hoc faſtigium dignitatis non attingant, quotquot Magnatum favoribus, (nam *Principibus placuiſſe viris non ultima laus eſt*) conſanguinitate amplâ vel affinitate, amicorumque commendationibus promoventur, quibus mediis quoſdam ad tantam celſitudinem evectos nulla Regio ætaſque non vidit, ut cæterum Medicorum vulgus vix aſpicere dignentur. Non mirandum igitur, ſi tales præſentibus fortunæ donis utantur: Medici Magnatum amicorumque favoribus commendabiles.

tur: quoniam, ringente Galeno, à Mecænatibus opes commoda & honores gratis accipiunt, ſibique gratulantur: ſtat enim ſua cuique ſors. Propitiores jam Dii, quam ut laboribus tantum omnia vendant. Somniavit Heſiodus, cum dixit: *Virtutem Sudore Dii.* Hoc tum temporis, jam tempora mutata, atque ex adnatâ quaſi ſcientiâ protinus capitur, quod Veteres, ne per ſomnium quidem cogitarunt. Tempori igitur ſervire, rebuſque ſecundis ſeſe accommodare, ſapientis ſemper eſt habitum.

Archiatri & Poliatri.

Proximè his accedunt, à ſummo Magiſtratu vel Principe honorario publico condecorati, & ex publico ærario annuo amploque ſtipendio liberaliter dotati Archiatri & Poliatri, Juv: *Fortunæ filii albæ* tantò feliciores, quo mors minus pulſet pauperum tabernas, & Noſocomia ſcateant validis, quam infirmis incolis. Alioquin in magnis Epidemicis, cum undique terribilis & dira horribilis gelidæque mortis imago apparet, plus aloes, quam mellis habet Poliatrorum munus. Aulicis verò Medicis è contrà morborum tempore opes, commoda, honoreſque affluunt, & quantò Principes Magnateſque magis morbis, tantò magis illi divitiis & dignitatibus cumulantur; ita ut his adverſa, illis proſpera valetudo, otia faciat.

Ad Perſonatos parum doctos & ſatis ſedulos languidoſque multos officioſè necantes Medicos, jam redit ordo. Hi, renuente licet Apolline, rerum potiri volunt, magnamque praxin quaſi ambabus ulnis, arripere geſtiunt: in quem finem, etſi ab omnibus neglectu habeantur ſimulant quod negotiorum mole obruti, vix aures ſcalpere poſſint, anxiè ſimul ea de cauſa procurant, ut à Domeſticis ex templis, collegiis, conviviis &c. (nam multa hominem fames docet,) quaſi verò ad ægrotan-

tes

te accersantur: sed hæc cominus inspicienti levi negotio liquet, omnia ista, ut mundum dicipiant, & salem lingant, ficta inanesque strepitus esse. Splendidè quoque mentiri, agyrtamque agere, solerter norunt hi, propriæ peritiæ, expertissimorumque suorum (si Dîs placet) remediorum Encomiastes. Quod de Aristotele refert Ælianus in hoc ineptissimum, atque eâ ipsissimâ Methodo procedens, bipedum genus ad amussim quadrat: Hic, cum adversâ valetudine premeretur, & Medicus vocatus, non prævio de morbi genere discursu, ipsum curare tentaret, eum ita est affatus: *ne me velut bubulcum suscipias curandum, quin prius de causâ morbi edisseras, tum me magis morigerum & præceptis tuis audientem habebis.* Sed hoc nostros ad reprehensiones, imò ad omnia, præter lucellum, insensatos, non tangit.

Medici personati.

Universa Medicina ipsis nihil aliud est, quam pars artis adulatoriæ; & ut cum expertissimo pariter & facundissimo *Nicolao de Blegny* loquar: *il faudroit estaller aux yeux de tout le monde les basseses, les flatteries, les complaisances & les indignes soumissions, que plusieurs font à des personnes d'intrigues, à des valets, à des gardes, à des vendeuses de fard, & à dautres gens de mesme espece, pour s'attirer une reputation, qu'ils ne pourroyent jamais meriter.* Sufficit prius hominum benevolentiam, post eorum facultates aucupasse; quod ut facilius consequantur, in omnium horarum homines sese transformant, ut insidiosè aliorum suffragia eblandiantur. Utinam ab his Bullatis non majus, quam ab indoctis Theologis vel Advocatis, caperet Respublica detrimentum! Illi enim negliguntur, vel Oratorem castrensem navalemve, vel Ludimagistrum agunt, vel fortè hinc inde Fautorum com-

passione suggestui rustico in congregatione trium auditorum, adhuc intruduntur: Isti ut plurimum amplam parentum hæreditatem, vel lauta beneficia nacti, labores odio habent, & honoribus titulisque Academicis contenti, sibi placidè & molliter vivunt, neminemque lædunt, seu si casu pragmaticum agere moliantur, tantum causâ cadunt, & neminem occidunt: Ast nostri praxin ostiatim mendicantes blitei blaterones, tam vafrè improvidis suâ histrioniâ illudere norunt, ut à vulgò optimis quibusvis expertis, probisque similes habeantur, etiamsi suâ ignorantiâ, & rudi ingenio quotidiè proximi vitam & bona impunè deprædentur.

Medici Scioli & inexpertes.

Sequuntur plurimis verbis pauca dicentes Scioli, inexpertes & Garruli, qui hoc quam præclarum existumant, in gravissimorum Virorum consessibus, si nunquam sileant, sed semper aliquid, sive rotundum, sive tortum, aut curvum, garriant. Cum Archimede quidem pollicerentur sese Orbem Terræ moturos, si daretur locus standi, & cum Alphonso Sapiente jactarent; Terrarum Orbem venustiorem consecuturam fuisse faciem, si Deus in Mundi creatione ipsos consuluisset; quod si hoc Divinum, omnibusque numeris absolutissimum Universi opus ejusmodi nasutulis sit imperfectum, quantò magis aliorum hominum dicta, scripta & facta: nil enim sacrum profanumque ab his Censoribus umbratilibus tutum, eousque, ut ipsis mortuis leonibus barbam vellant: omnes ab ipsis dissentientes suo judicio desipiunt, soli illi ingenium in numerato habent, atque sapientiam conducunt. Præterea, licet ipsi in formandis suis Hypothesibus, & in texendis earum consequentiis plerumque miserè à viâ rectâ aberrent, animosè tamen se omnem in medicinâ obscuritatem per Vetero-novum & ingeniosum commentum (corpuscu-

Hic Alphons. x. Rex Castil., cognomine sapiens, quia Astronomiæ peritiss. domi suæ valdè infelix erat.

pusculárem Philosophiam) claram reddituros & explicaturos promittunt; cum interim, dum aliis plus sapere videri volunt, nil nisi inania verba merasque tenebras effundant, alioque, forsan novo quidem, sed non minus obscuro termino, rem magis implicent, quam extricent, nec suarum particularum generationem, conjunctionem, causam congressus & motus, operationes &c. describere queant, ut nec qualis &c. illarum, & qualium commistio, aut commistionis ac subsecutæ fermentationis causa ac differentia, nec quomodo tales particulæ, quæ antea non erant, vel saltem non peccabant in sanguine, humoribus partibusque solidis, in iis generentur & degenerentur, quid illas introducat, moveat, in actum ducat, sedet, jungat, sejungat &c. Æquè firmo apud me stant talo, quæ de portulis, hujusmodi viatoribus particulis solum perviis docentur: nam tametsi sciam, quod in corporis animalis cute aliisque partibus dentur innumeri exigui insensilesque meatus, per quos sudor, effluvia vaporosa subindè quoque humorum latices ex corpore decedunt vel in corpore percolantur, atque ex unâ in aliam cavitatem transfunduntur, præcisè tamen stabiliri seu delineari nequit, quicquid contradicant particularum Patroni, quomodò hi pori, tam in statu sano, quam morboso, sint dispositi vel figurati? Quot, quales, & quandò partim vel omninò sint obstructi vel nimium aperti? An instar infundibulorum foras intus vel intrò foras spectent? Neque microscopium quodvis vel exquisitissimè elaboratum exiles istos meatus, per quos chylus e. gr. ex intestinis in vasa chylifera transcoletur, vel per quos ductus sanguis per arterias derivatus, in venarum oscula reducendus transmittatur, potest detegere.

Quan-

Quantòminus igitur exilissimos istos, visumque effugientes, magisque adhuc affabrè concinnatos omnium partium solidarum & viscerum, in hac mirandâ hominis compage, porulos, quos nemo hominum, ne per somnium quidem, vidit: cum rudis nostra cognitio in rerum cortice omnis fermè versetur, & verissimas rerum causas nullatenus attingat, sed ad plurima penitus cæcutiat. In genere itaque omnibus à posteriori innotescit corpus nostrum esse perspirabile, cribriforme & quasi vas undique pertusum: de facto præterea liquet, quod dentur ejusmodi cæci meatus per quos aquæ & urina Hydropicorum & Diabeticorum ex abdominis & ventriculi cavitate ad intestina & vesicam transferantur, atque per secessum vel mictionem educantur, perindè acsi primitùs in ipsis intestinis vel vesicâ continerentur.

Sed nulla unquam contemplatio à speculatione corporis humani deducta à priori indagare, atque autopsiâ in lucem pertrahere potest, quod corporis partium tunicæ revera sic sint perforatæ, minus multò quam rara vel densa, stricta vel patula, rotunda vel ovalia, & quomodò, & quando, alias figurata, earum foraminula in quovis statu, sano vel morbido, sint vel esse debeant. Atqui ab his nihilominus principiis, videlicet minimorum imaginatione imò ratiocinatione vix comprehensibilium Microcosmum constituentium corpusculorum materiâ, figurâ, motu, quiete &c. atque dispositione porulorum omnia in Medicinâ tam Theoreticâ quam Practicâ Phænomena, ut jam demonstravimus, deducunt & multa argutè philosophantur: quæ tamen, cum per suas omnium motuum capaces minimas particulas earumque valvatas, semi vel integrè clausas vel nimium patentes portulas minimè explicare possint,

clarissimè liquet, quod unà cum cæteris ad æquè obscurum, specie aliud, reverà idem, nomine tantum, non re, ab Antiquorum diversum Ignorantiæ Asylum, scilicet Conjecturas, Veròsimilia, Occulta & Nescire, confugiant, absit quod saniori suâ (uti volunt) Philosophiâ, vel meliora, vel utiliora in Medicinâ produxissent. (Sed quorsum teror? quoniam horum Philosophorum ardor, jam ab aliquot retrò annis valdè deferbuit, & de hac Doctrinâ super Alias prærogativâ, (de quâ pridem undique Athenæa & Auditoria perstrepebant) propemodum in fumum abiit. Cachinno igitur digni sunt, qui non erubescunt palam profiteri, Medicinam Veterum fragili fundamento usque adeò inniti, ut, nisi novis, & quidem his, suffulciretur columnis, brevi illam funditus eversam iri, persuasum habeant. Nec enim, (ut cum Cl. Sydenhammio loquar) „nisi in aëre castella, quod ajunt, extruere solent, „qui ejusmodi speculationes, utut perbellè confictas, ad „morborum curationem ne hilum facientes molestè in„gerunt; Medicis non tam viam præmonstrantes, quam „ignibus suis fatuis devios in errorem agentes. His „natura cum ingenii modum largita est, quo de illâ „doctè nugari queant; at prudentiam non dedit, quâ „intelligant, se eam haud aliter scire posse, nisi expe„rientiâ indice, atque ejus peplum revelante: quandò „abjectior humanæ naturæ conditio ad scientiam in„tuitivam nullatenus assurgens, intra angustos cogni„tionis, quam à quinque sensibus haurire potest, li„mites coarctetur. Propterea nihil æquè ad judicium „in Re Medicâ ritè formandum confert, ac *obser„vatio exactissima φαινομένων naturalium & morborum*, „& pariter eorum, quæ in praxi cernuntur *à juvantibus „& lædentibus* derivata, post ea, sive remedia, usurpata,

„ſive etiam iſta Medendi Methodus, quibus morbos „depellere ſatagimus. Hæc, ſi diligenter inter ſe col„lata fuerint, tibi oſtendent & morbi naturam, & inſu„per unde curativæ indicationes deſumendæ ſint, „longè meliùs certiùſque, quam ſi ad ſpeculationem „naturæ hujus aut illius principii corporis concreti, tan„quam ad Cynoſuram, curſum dirigam. Etenim, vel „exquiſitiſſimæ *hujus generis diſſertationes nihil aliud „ſunt, quam Metaphora bellè deducta exornataque*, „quæ etiam ad eorum inſtar omnium, quæ in ſcenâ „imaginationis, non verò in ipſâ rerum naturâ funda„mentum habent, dies delebit ac proteret, cum Na„turæ judicia rerum veritati ſuperſtructa, non niſi cum „ipſâ Naturâ interciderint.

„Quamvis autem Hypotheſes ſpeculationibus Phi„lophicis innixæ futiles ſint prorſus, cum nemo „hominum ſcientiâ intuitivâ præditus ſit, quâ fretus, „principia queat ſubſternere, quibus mox ſuperſtruat; „attamen ſi hypotheſes ab ipſis rebus factis fluant, ex „eis tantum obſervationibus natæ, quas phænomena „practica & naturalia ſuggerunt, ſtabiles manent & in„concuſſæ: ita ut licet Praxis Medica, ſi ſcribendi or„dinem reſpicias, ex Hypotheſibus orta videatur; ni„hilominus ipſæ hypotheſes, ſi modò ſolidæ fue„rint ac genuinæ, praxi quadantenus originem de„beant.

Aureæ profectò ſententiæ, omniumque Medicorum attentione & Meditatione digniſſimæ! quibus inter multos alios totius Europæ celebres & indubitatæ fidei & auctoritatis Medicos quoque aſſentitur, & experientiam *indicationeſque, quæ à juvantibus & nocentibus deriventur*, vanis ratiociniis longè præfert, atque peritiam ab uſu, & accuratam obſervationem ab eventu, per

omnia

omnia sua opera inculcat felicissimus practicus Cl. Sylvius. Ex hujusmodi multis in suis omni laude majoribus scriptis undique obviis sequentia excerpsi. Seligen- Sylv. pr. Med. L. I. cap. 32. art. 21.
„ da autem sunt talia remedia, quæ uniuscujusque ægri
„ constitutioni tum naturali, tum præsenti maximè con-
„ ducant & conferant; quod ex *juvantibus & nocenti-*
„ *bus* facilè comperiet ac dinoscet Medicus. Porrò
„ Malim autem uti Medico Empirico, id est, secun- Sylv. de le Boe prax. Med. L. II. cap. 25. art. 110.
„ dum experientiam Praxin exercente, quam Theoreti-
„ co, & ex suis ratiociniis & figmentis Medicinam fa-
„ ciente: docuit enim jam pridem, omnes accuratos eo-
„ rum, quæ circa artem nostram accidunt, Observato-
„ res, longè feliciores esse in praxi Medicos Empiri-
„ cos, quam Theoreticos, quique ex libris Medici
„ fiunt, aut suis speculationibus; homines in suâ de
„ mentiâ tantò miseriores, quod tam multos secum red-
„ dant miseros. Sed sesquipedalibus verbis & ampul-
„ lis vult decipi mundus. Everterat in antecessum hoc eodem Capite à paragr. 70. ad 80. Hippocratem secutus, Magnus Experientiæ Encomiastes contradicentium Thessalorum frivola argumenta, avellendo ab eorum oculis adnatas præconceptarum opinionum tunicas. Idem facit Lib. III. cap. 3. art. 101. 102. 103. 104. quorum repetitam lectionem, ut utilissimam, omnibus Medicinæ Tyronibus commendo: deposito enim vanæ scientiæ præjudiciorumque cucullo, protinus apparebit, verane, an falsa promulgarim? Sed quorsum feror? immemor cum hodierno Mundo ita comparatum esse, ut, (loquere quicquid velis,) imò ex Tripode Oracula, si haud arguta nova & ardua, licet verissima, sed simplicissima sint, *Antherieum metes, ex arenâ funiculos nectes.* Quod nec ipsum huic doctissimo Autori, hac ex suâ in eos latâ sententiâ, latuit: inanem autem

 „ glo-

Sylv. pr. Med. L. II. c. xv. paragr. 30.

„gloriam qui exuere non poſſunt, tanquam incurabi-
„les ſunt aſpernandi, ac pro ipſis orandum, ut ad
„mentem ſanam redeant. Vos interim, quorum intereſt:

Noli homines blandos nimium ſermone probare:
Fiſtula dulce canit, volucrem dum decipit Auceps.

Medici Tyrones.

Tyronibus, qui præcipites nimis, compendio Studiorum, ante florem fructum quærunt, atque audacter ſatis in Medicinæ praxin involant, ſequens Gallicum Proverbium:

Jeune Medicin cimetierre boſſu.

ut animo revolvant, ſeriò commendo. Nam vulgò: *ſeris venit uſus ab annis.*

Medici Antiquarii & Nugatores.

Haud infimum inter Practicos quoque locum obtinent moroſi immiteſque Antiquarii & Nugatores, abſurdique Moriones (Grolliſtæ) ingenſque illa craſſorum Empiricorum turba, quæ omni ætate locoque multa hominum myriada perdidit. Homines ferrei, quorum medendi Methodus, veluti vetuſtiſſimæ olim Draconis leges, non atramento, ſed ſanguine & felle eſt conſcripta, juxta Proverb. Belg. **of Snijd / of Brand / of helpt van kant**: quos enim, ſecundum illos, Medicamenta non ſanant, ferrum vel ignis ſanabunt: nam crudelem Medicum intemperans æger facit; perpetim reſonat in horum oris Virorum: Poſteri igitur non degeneres ſuis Majoribus, quondam propter ſævitiam Româ expulſis. Tales infinitis ſuis tormentis miſeris in-

innocuæ Medicinæ execrationem extorſerunt. Sic inter alios Cajum Marium, qui ſepties Conſul fuit, ferunt ſibi ſtantem à tam ferreo quopiam extrahi paſſum varicem, ſed ex uno tantum crure, ex altero recuſasſe, dicentem (quod notandum) *Medicinam eſſe morbo graviorem.* Tralatitia quoque hæc eſt de hujus gregis quodam narratiuncula. Hic apud quoſvis leviter vel periculoſè ægrotantes abſque diſcrimine, ſtatim largam V. S.^em^ inſtituebat, poſt, pleniſſimam pilularum purgantium ſatiſque acrium, quas ſemper in pera circumferebat, doſin præbebat, à quibus, cum ad interitum uſque eſſet evacuatus æger, certiorem, quam vix alius quis Medicus, apud ſeſe de morbo Prognoſin faciebat, dicendo Belg: **Die Man is mijn.** Quod Latinè ſonat: *Ille meus eſt*, quaſi dicere vellet: Hic jam decumbens & languens primis octo diebus non prodibit foras: intereà in meum commodum, quotidiano meo auxilio opus habet. Ad eorum Pharmaca quod attinet: magno Medicamentorum apparatu ægros onerant, licet admodum confuſè ſua tractent, vix unquam ex artis lege utplurimum empiricè: jam adſtringunt; mox aperiunt, atque ſic alternatim purgans, opiatum, vomitorium, ſudoriferum &c. (perindè enim eſt, cum ſolum tempus differtur, impenſorumque calculus increſcit,) præſcribunt. Quod ſi hinc inde ægrotantem aliquem (quod tamen rariſſime, ſolumque præ livore, ne alium accerſant, fit) gratificari velint, eum ordinarii ſalarii dimidio, ſcil. tribus aſſibus inviſunt, ſed interim hanc jacturam, in aucto per ſe porrectorum Medicaminum pretio abundè ſupplent. Tandem, qui ſuum corpus frequentibus largiſque Venæſectionibus, ſanguine ſpiritubuſque orbatum, Hypercatharſi, immodicâque Diaphoreſi vel Ptyaliſmo, ex ſuccum extabidumque deſiderat, hos

accedat moriones. Jure meritò etiam (quod fermè mihi memoriâ exciderat) horum albo inserendi veniunt, quicunque inter Gallos antiquum & tritum; *un Lavement & Saigner* & nil porrò, nisi forsan pro corollario *la casse & le senè*, jugiter adhuc crepent, unicamque Phlebotomiam omnes in se conditiones in summo perfectoque remedio expetitas, tutò scil. citò & jucundè curandi, continere jactent, licet Lutetiæ Parisiorum, ubi hæc consuetudo inprimis viget, innumerabilium morborum exempla passim pronascuntur, praxinque frequentioribus, quam nusquam alibi, casibus confirmandi, per convenientioraque hisce duobus Remedia curandi, nunquam deficit occasio. Quæ omnia tamen apud hos humani sanguinis profusissimos frustra sunt, quippe unica Phlebotomia ipsis omnibus muneris absolutissima est, effectuumque, qui hanc excipiunt celeritatem, ejusmodi esse credunt; *Arrigite aures!* Ut levamen, quod Galenus per illam olim præstabat, humana curatio non videretur, sed potius incantatio: ipseque, non ut Medicus, sed Fascinator & Dæmon haberetur, adeo præsens erat subsidium in ægros inde dimanans. Sed credat Judæus Apella non ego. Interea tamen illi idem auxilium ab hoc, ipsis quasi Divino remedio jam exspectant: quamobrem V. S.em passim quovis loco, tempore, ætate, sexu, morbo, & in principio, augmento, statu & declinatione morborum, veluti universalem & Sacram Salutis anchoram commendant & celebrant; eatenus, ut, siquis ad eos accedat, sive illos accersat de morbo consulturus, mox audiat: *il faut vous faire saigner*; Secanda Vena est. Si regerat: quantum sanguinis educendum? R. libram unam vel alteram non refert. Sed si morbus, vel dolor, nec tunc quidem remittat? *vous avez besoin d'une autre*

Medici humani sanguinis profusissimi.

autre saignè, iteretur. Quoties? Secundo, tertio, quinto, sexto &c. ad coloris mutationem animique deliquium usque.

Sic ego quendam novi, cui Parisiis in febri continuâ vigesies in hebdomade, & quidem novies duobus primis diebus pertusa vena fuerit, ita ut diris & periculosis symptomatibus attritus, exsuccus, & exsanguis hydropique jam proximus, hos Carnifices Phlebotomos execraretur. Nil tamen hoc illos movet, nec pusillæ, nec decrepitæ ætati, nec gravidis, nec puerperis parcunt, in bimulis imò bimestribus pariter ac in octogenariis V. S.^em celebrant, nec solum, ubi adest plenitudo, sed & citra plenitudinem, in morbo; sed & præcautionis gratia ante morbum, & post morbum, anxio semper cum venarum delectu, jam superiores, mox inferiores: frontis, pedis, linguæ &c. sectas volunt venas, seu Arteriotomiam Phlebotomiâ præferunt, & ut omnia simul comprehendam:

In omnibus morbis curandis & præcavendis, præ omnibus aliis præsidiis, Sanguinis Profusio ipsis ferè unicum, tutissimum, Sacrumque est auxilium.

Secundum, quod in deliciis habent, remedium, est Clyster, vulgatissimum semper, & in omnibus penes illos remedii genus, ita ut maximum vilissimi Electuarii ad Clysteres pondus, ollularum pixidumque Myropolæ Galli, duas vulgò referciat tertias & *Monsr. l'Apoticaire* pro unico imperialis quadrante, *pour doner un lavement*, alicui inferius guttur colluendo, semper paratissimus sit. Sed hæc de his perantiquis pariter & usitatissimis apud Francos remediis sufficiant: Interea contemptu & cachinno dignissimum est, quod obstinati & plumbei horum auxiliorum patroni, dum nobilissimis aliàs hisce duobus præsidiis fœdè abutantur

tur, ſimul doctioribus, eorumque errorum emendationi ſtudioſis exprobrent, quod eorum Praxis, ut nuperum inventum, non niſi in levium futiliumque Medicaminum farragine ſita ſit, & præter vana verba, & fallaces pollicitationes, inefficaciſſimaque remedia nihil habeat.

Medici Avari Lividi & Arrogantes.

Quamvis Avari, Lividi, & Arrogantes omnibus ſint exoſi, omneſque eos odio habeant, paſſim tamen inter omnis conditionis homines, præſertim inter Medicos, inveniuntur: Lividos autem, qui cæteros omnes, mirâ proterviâ, dente Theonino rodunt, in ſequentibus aliquatenus deſcripturus, hic ſicco pede tranſibo. Sed Arrogantes Avaroſque levi penicillo adumbrare, ſert animus.

Immodica habendi cupido gignit avaritiam, malum inexplebile. Nam avarus, quamvis poſſideat marſupia conferta pecuniis, & nummos modiis metiatur; quamvis ciſtas veſtimentis, ſcrinia cimeliis, & omnifaria ſuppellectile plena habeat: egeſtatem nihilominus timet; experitur in copiâ inopiam, ſtrangulat divitias in arcâ, congeſtoque pauper in auro eſt. Ideo dum præmetuit ſibi defore neceſſaria, annititur, per fas & nefas, diteſcere, ita ut talis ſi Medicus ſit, corraſorem lucrionemque agens, nec lautioris nec tenuioris fortunæ ægrotantibus parcat: ſed per pretioſas ſuas nugas inhumanè admodum ſuperſtites miſeris facultates extorqueat, & ſic ſanguine & ſudore proximi ſui ſeſe ſaginet. Non mirum igitur, quod & ego hoc genus hominum odi, & cum omnibus bonis in ſinu gaudeam, quod tandem ejuſmodi tenax (ut plerumque fit) prodigum requirat, qui malè parta iterum dilapidet, Parentumque avaritiæ & rapacitatis, propriæque prodigentiæ tandem pœnas luat. Arrogantum Thraſonum vanæ jactatio-

nes

nes unicuique faſtidium, adferunt & adverſus Lividorum Sycophantarum morſus candoris clypeo tecti probi, truces minantes, contemptus clavâ repellunt.

Medicorum Scorbuticorum & Obſtructorum (eos puto, quibus Scorbuti & Obſtructionis vox ſemper inter dentes hæreat, **'t is een ſwaar Scheurbuik / 't is een groote verſtopping.**) Haud exiguus eſt numerus. Hi probè edidicerunt, quod Scorbutus ſub omnium morborum larvâ corpora noſtra aggredi ſoleat, quodque Scorbutici Scorbuticos generare conſueſcant: Hinc omnes, ſaltem morbis Chronicis ægrotantes, judicant Scorbuticos, ſive ipſum ægrum videant, ſive urinas inſpiciant, ut videantur aliquid dixiſſe craſſamque ſuam ignorantiam tegant, ſemper innocentem culpant Scorbutum. In eadem arundine longâ equitant omnes illi, qui ſemper ad invicem & apud ægros de Obſtructionibus garriunt, quaſi verò illæ generales, nullæque aliæ eſſent præter has, morborum cauſæ. Sed æque hic quam alius frivolus eſt prætextus, neque alios, præter ignorantiam & ignaviam, autores agnoſcit.

Medici Scorbutici, qui ſemper ſcorbutum & obſtructiones crepant.

Inconſtantes, Gallicè *irreſolus*, in omni difficili improviſoque caſu inter cœlum & orcum fluctuant, ocysſimè & inconſideratè ab uno ad aliud tranſiliunt, ſemper ferè ab aliis diſſentiunt: in alicujus enim ſententiam ire, ipſis piaculum foret. Vulgò ſpecificis litant, ſed plerumque renuente Apolline omnia faciunt: Nam quia viam Regiam incautè deſerunt, ſemper & ubique dubii incertique vagantur.

Medici fluctuoſi & Inconſtantes.

Cum de Timidulis & Meticuloſis Medicis cogito, mihi in mentem incidit mea quondam cum adeò Scrupuloſo, ante ægrotantis lectum de Antimonii diaphoretici granulo uno ac altero, ridicula contentio; hujus Stybii calcis (ni fallor) grana tantum tria, ne-

Medici Meticuloſi,

 qua-

quaquam quinque vel ſex, pro doſi bolo ſudorifico volebat ille immixta, licet ego integrum ejus ſcrupulum & ſeſquiſcrupulum ſimul innocuè per ſe vel aliis permixtum, & cum bonis ægri rebus, me centies exhibuiſſe affirmarem. Renuebat tamen ille, atque multis verbis pauca, pro ſua confirmanda ſententia dicendo, operoſè diſputabat. Similis huic eſt univerſus meticuloſorum cyclus, quapropter in rebus arduis, ut plurimum inter ſpem metumque hæſitando, nihil recte agunt, ſed abſque ſalis grano interpretantes axioma: *Præſtat Medicum in defectu, quam exceſſu peccaſſe*, ineptis & haud ſufficientibus medicamentorum doſibus ſuis ægris magis officiunt quam proſunt. Interea dudum poſtquam hæc exaraveram, idem ille (de quo modò memorabam) meticuloſus, & in quarto gradu (ut ajunt) pariter arrogantulus ſummèque naſutus, nuperrimè, (ut mihi defuncti vidua retulit) apud periculoſè decumbentem, ad quem (ut jam paſſim fit) ſpeciali de cauſâ, renitente licet uxore, accerſitus erat, cum audiviſſet ut tandem me pro ſecundo Medico ipſi jungere deſiderarent, ſeu præteritorum oblitus, ſeu futura metuens, protinus inſtar columbi ventoſo turgidus flatu comminabatur, ſi hoc vellent, ſe ſtatim deſerturum ægrum; quoniam cum ſe juniore Medico conſulere, id eſt puſillaminis ille, cordatiora ſuis in ægrotantis emolumentum conſilia audire nollet. Sed fatis ceſſit hic ægrotans, & vidua jam num hoc dolet, quod tum huic deceſſum minitanti inflato miſſum non fecerit, eique iter non acceleraverit.

Medici Temerarii Ebrioſi &c.

His oppoſiti ſunt Temerarii Ebrioſi &c. quorum ſecta in Caſtris, navium Claſſibus; & tempore peſtis in hac lue contactorum Noſodochiis inprimis viget. Nam veluti meticuloſi debitorumremedioru mneglectu,

sic

ſic illi intempeſtivâ & temerariâ ſæpè eorundem administratione peccant, maximamque maculam Medicinæ inurunt, perpetim mero aut uberiore diætâ irrigati ægros inviſunt, & inconſideratè de corio humano impunè ludunt. An illi haud initium contulerint deteſtabili, in Medicæ facultatis ſcandalum, vulgò proverbio: *Tres Medici duo Athæi;* dubius hæreo? Quoniam aliàs hanc in Medicorum approbrium excogitatam ſententiam falſitatis culpet & evertat, quod nemo Mortalium magis Medicis de contrariò convictus eſſe queat; nec ſuis doctrinæ principiis longius ab Atheiſmo diſtet: quodque naturæ indagator atque in minimis quoque Numinis Inventor Medicus jugiter tam in Macrocoſmi quam Microcoſmi examine in Divini Architecti ſummam admirationem rapitur, ſibique probè compertum habeat, quod *Jovis omnia plena, miraculis cuncta referta ſint.* In Medicinæ ſubjecto homine enim conſpicitur Dei ſculptura, uti in numiſmate Cæſaris charagma: neque minus in materia Medica *præſentem monſtrat quælibet herba Deum.*

Poſt vulgi opinionem, maximè conſpicuus ad magni Medici nomen gradus eſt, ejuſdem cum aliis religionis profeſſio, quod præjudicium in eligendo Medico plurimum facit, & ubique Terrarum multorum mentes excæcavit, quamobrem verſutè admodum fovetur ab illis, qui probè callent, hunc Sophorum Lapidem, has Aurifodinas maximam Metamorphoſin; Auguſta videlicet ex anguſtis & ex tenui lautam fortunam produxiſſe, quorum plurima Exempla mihi olim in Germania & Galliis innotuere. Sed quò feror? An non apud noſtrates quoque, ſi quidam Medicus alicui Sectæ aſſentiatur, præſertim ſi inter illos Concionatorem agat, ab omnibus Sectariis eorumque opinionem profiten-

Quid Religio faciat in eligendo Medico.

Dat Galenus opes.

fitentibus magno favore & honore aliis Medicis, licet excellentioribus, præfertur? An non eſt iis Magnus Apollo, nil niſi meros Aphoriſmos imò Oracula effutiens, & ut alter Serpens Moſaicus, (ſi Dîs placet) aſpectu languentes ſanans? Hæc Zizania hodiè tam altas egit radices, ut nemo ſanæ mentis ejus eradicationi nervos intendere velit. Paſtores enim multi ſunt & boni, quia ſuum pecus non deglubunt, nec mirum, tondere malunt, ut non ſemel ſed ſemper ſibi victum amictumque ſuppeditare poſſent. *Quid non mortalia pectora cogis auri ſacra fames!* non equidem invideo, ſed miror magis, quo modò illi, Semi-Medici, qui publici Eccleſiaſtis munere apud ſectas funguntur, ſalvâ conſcientiâ, Hippocratis in Medico requiſitis ſatisfacere queant. *Pluribus enim intentus minor eſt ad ſingula ſenſus.* Medicina totum hominem poſtulat, & tum quidem adhuc ſummæ difficultatis eſt in explorandis omnium morborum naturis, in quarum inveſtigatione neceſſe eſt humanam aciem, quæ ad veritatis lumen ſæpiſſimè cæcutit, inſtar oculorum veſpertilionum, multa ſubterfugere, in quibus tamen ſæpè maxima ſunt ad benè medendum momenta.

Theologi medicantes.

Quod idem de Reformatorum Theologis Medicis in Regionibus Epiſcopo Romano parentibus hic regeri poſſet, nullius momenti totoque (ut dicunt) cælo ab illis diverſum eſt: idcircò ſi ſemper omnis, maximè hæc ſimilitudo claudicat. Sub cruce (vulgò aiunt) illi Verbi Divini ſunt Miniſtri, quapropter ut à ſe omnem ſuſpicionem avertant, velato habitu, plerumque Medici, aliquandò mercatoris & militis (ut me vidiſſe memini) per urbem incedere coguntur; Intereà dum omnibus indiſcriminatim Medicinam faciunt, hic inde latentibus Chriſto fidelibus S. S. Euangelii præconium

& S. S. Sacramenta administrant: itaque dum corporibus mederi videntur, ut misericordes Samaritani; sauciatas peccatis animas verò Gileadis Balsamo curant.

Maxima igitur inter hos illosque intercedit differentia, minimèque superest ulla analogia. Nam hi propter necessitatem nomen volunt sine Re: Illi nominis inanis parum solliciti, rem volunt propter lucrum. Præterea ad quod inprimis attendendum: Reformati prius Medici erant, antequam Theologi fierent, nec Medicinam lucri sed necessitatis gratia profitentur: Dissentientium opinionum Pastores verò, plerumque Theologi sunt, priusquam Medici fiant, nec haud secus quam percommodâ occasione cupidâque spe dulcis ex sibi addictis Paræcis & Auditoribus lucelli, ad praxin Medicam alliciuntur. Assertis meis si quis fidem deroget, præterquam quod proprium alicujus negotii examen, magis quam verba aliorum movet, ut multas Fœderati Belgii adeat civitates, suasor sum, videatque, verane an falsa de hisce rebus promulgarim. Sed audio objicientem: consuetudini est litandum, hujus enim in vitæ & morum instituto vis, semper maximè elucet. Cui respondeo, mihi consuetudinis, ut alteræ naturæ, vim neutiquam ignotam; Sed nihilò secius consuetudinis pravæ litationem, semper & ab omnibus abominandam & adversandam esse.

Enimverò non magis Bello quam Medicinæ quadrat: *bis peccare non licet:* utrinque enim Microcosmi fabricæ ruina imminet. Quod si horum seria apud omnes illos, qui oculos & vultum ad humilitatem & reverentiam quandam componunt, & apud istos quoque, qui publici vel privati præceptoris munere funguntur & subindè ex lecturâ unius vel alterius Latinè

vel Græcè conscripti Autoris, omissis cæteris omnibus ad Medicinam feliciter faciendam maximè necessariis, egregiè sibi sapiant, esset meditatio, in faciendâ Medicinâ non tam faciles essent, sed potius carnivoram suam ex Peritorum messe retraherent falcem.

Medici ignavi & socordes.

Tandem mihi longius in Medicorum campis exspatienti obviam venit, Titulariorum, Socordum, Desidum Testudineorumque caterva, ad unum omnes nomine contenti, nec aliquo modo cum Henrico III. Angliæ Rege sentientes. Hic quotidiè tres missas (sic vocant) audiebat: Interrogatus ab Ludovico IX. Gall. Rege, quare non potius, uti ille, Sermones (*Sacram Concionem*) audiret, respondit: *se malle suum Amicum videre, quam de eo loquentem audire.* Nostri verò Titularii de amicâ Medicina loquentem audire, quam Medicinam exercere, id est, humanam miseriam videre, malunt: Nec miror, quoniam magna mortalium pars, otio nimis addicta, corporis sui membra ad improbos labores plerumque movere recusat, verum deambulationes & discursus de studiis & artibus inter pocula mavult: in quibus tamen adhuc præferendi sunt illi Nobili, sed superstitioso Idiotæ & Idololatræ Gallo, qui initio Reformationis sentiebat publico Magistratus Decreto omnem de Deo, sive in bonam sive in malam partem, prohibendam esse mentionem, Psalmos præterea & S. Pauli Epistolas flammis esse dicandas. Tales enim nostri non sunt: sed doctè de re Medica nugari, vanisque verbis morbos impugnare, vel ejusmodi nugantem pugnantemque audire, illis haud displicet. Ipsos insuper laborantes beatos prædicant, licet illi labores reformident, molliqque otio marcescant. Non ineleganter idcircò Themistocles Græciæ Dux fortissimus, ad ejusmodi ignavos respiciens: *Desidiam ho-*

hominis vivi sepulturam nuncupavit: Nec minus rectè segnes Plautino verbo Testudinei vocantur. Ex quibus constat, quam turpis sit sine frondibus arbor.

Quamvis tamen adhuc in Medicinâ præstet, saltem periculo vacet, inanem Spectatorem, quam Pseudo-Medicum bardumque interpolatorem agere. Quod & maximi Medicorum Nomothetæ Oraculo his verbis videtur sancitum: *Qui nihil in consilium adhibent, plerumque nihil peccant.* Hippocr. Lib. de Tract.

CAPUT. VII.

De Alchymistis & Paracelsi morionibus, qui sese (quanquam falsò admodum) Adeptos & Possessores omnipollentis Lapidis Philosophorum gloriantur.

Quanquam præteriti sæculi in elaborando Sophorum Lapide fervor, qui passim Doctorum Plebejorumque mentes effascinaverat, multum refriguerit: non desunt tamen, qui etiam hisce temporibus exoletæ huic Sectæ adhæreant, alterumque in terris Vulcanum Theophrastum Bombastum Paracelsum cum exsucco, tosto & infumato suo satellitio (sicut pueri Junonis avem) mirentur, & sub fastuosis hujus Mysteriarchæ vexillis militantes, opes, sanitatem, vitam longævam, sibi aliisque promittant. Quod adhuc supersint Alchymistæ & Paracelsici.

Hunc delirum, ebrium profanumque fatuum, blasphemè satis in suis scriptis: Prophetam Semi-Deum, Hominem Dei, Mundi Miraculum, Lumen totius Orbis terrarum, Medicinæ, Medicorumque Principem, Arcanorum Monarcham &c. Imaginarium Lapidem Paracelsus potius ebriosus vel fatuus quam magus est dicendus.

Arcanum Arcanorum, Thesaurum Thesaurorum, Regem Regum, Secretum Cæleste, Benedictum universale, Malum Hesperidum, Olympum terræ, Donum Aureum, Aurum Potabile, Pan Pharmacum, Thesaurum divitiarum & sanitatis &c.; Magno supercilio jactarunt pauperculi amentesque Chymicastri. Sic enim quidam Adeptus conqueritur:

Lapidis superbi tituli.

Pauper ubique jacet: nec eum qui sublevet, ullus,
Paupere sæpè latent magna talenta casa.

Qualitates lapidis.

Præter omnium morborum curationem renovat benedictus omni-pollensque hic Philosophorum Lapis humorem radicalem. Ægypti Rex Xepholat hoc 300. annos supervixit & ejus uxor abhinc 80. Ipse Trismosinus Magister Paracelsi vetulis sex & septuagenariis præbuit, quæ iterum parturierunt infantes. Decrepitus octoginta novem annorum ejus virtute cutem, crines, & dentes mutavit & juvenis factus, adhuc triginta annos supervixit. Auro potulento quendam diu sustentasse vitam sine alio cibo. Aliumque glebâ minerali ventri appositâ esuriem facilè tolerasse, fabulantur. Insuper vitrum malleo ductilem reddere; silicem in Adamantem, viliora metalla in Aurum, mille milliares Margaritulas in unam Magnam naturali præstantiorem transformare. Carbunculosque ex crystallis in quantitate & qualitate multiplicare, & sic cuncta miraculis refarcire novit. 1538. cum Carolus Egmondanus, Gelriæ ille Hercules jam septuagenarius, ut alter Æson rejuvenescere optaret, advolavit ad ipsum quidam impostor Paracelsicus, Ducem suo auro potabili in quadragenarium renovaturus: sed quid fit? versipelli huic Principi versutior Alchymista, eludit, immensamque

Mera prodigia & miracula prodit hic lapis.

que pecuniæ ſummam emungit, foroque cedit & aufugit.

Slichtenhorſt. Hiſtor. Gelr. p. m. 443.

Nugantur abſque ullo fundamento in Sacris Literis extare ſui Lapidis fabricationem, ibique naturam ejus myſticam cum univerſæ Theologiæ revelatæ myſteriis ſymboliſantem, quaſi digito monſtratam, Patreſque vitam produxiſſe ejus beneficio, atque hanc ipſam ob cauſam tam paucos morbos fuiſſe in primo Mundo: ſed, cum poſteà amiſſa eſſet ejus notitia, morbos invaluiſſe. Ad hæc abutuntur S. Sanctâ Scripturâ, Oratione Dominicâ, Apoſtolorum Symbolo, omnibuſque Fidëi Myſteriis, Pſalmis, Carminibus, Hymnis, Rhytmiſque Sacris, imò Pontificiorum ſuperſtitioſis Miſſis, grandia parvis, Sacra profanis admodum blaſphemè miſcent; aſſimilantque. E. gr. Sanctam individuam Triadem, Dnum Chriſtum, incarnationis Myſterium &c. ficto & ineptiſſimo ſuo Lapidi. De Elia Artiſta & Enocho, Præcurſoribus Chriſti ad judicium univerſale, revelaturis Alchymiam, ſæculumque aureum reſtauraturis, de Expeditione Argonauticâ, de Rege Salomone, tribus ex oriente Magis, Platone, Ariſtotele, Alphonſo Caſtelliæ Rege, infinitiſque aliis, omnium ſeculorum, ordinum, relligionum, nationumque hominibus tanquam Alchymiſtis, multa inconcinna fabulantur, eoſque falſè mendaciſſimorum libellorum, quos ipſi finxerunt, faciunt Autores. Sed audiamus lucifigum quendam Thraſonem de ſuâ, uti vult, artium Reginâ & Theologiæ dignitate & nobilitate proximâ, jactantem: Poſt Hermetis Triſmegiſti „tempora floruit hæc ars apud Ægyptios, Arabes, „Græcos quoque & alios, prout ſexcenta ferè Philo„ſophorum nomina nobis indicium faciunt, qui de La„pide Philoſopho ſcripſerunt, & Chymicæ artis my-

Ubi extat ejus fabricatio & quinam Secretum habuerunt.

Eorum vanitatem etiam libri declarant, in quibus Platonis & Ariſtotelis nomina inſcribunt, ut iſtæ glorioſæ inſcriptiones ſpecie doctrinæ viris ſimplicibus imponant.

Agricol. in Epiſtola.

Anonymi Thrasonicum de suo lapide commentum.

„ steria nobis ut posteris, licet infinitis involuta parabolis & obscuris involucris tecta, reliquerunt. Præcedentis abhinc ætatis intervallo, Monarcha & Mysteriarcha noster, Philippus Theophrastus Paracelsus &c. in Germaniâ floruit, & hanc artem & veritatem Chemicam scriptis plusquam Divinis (non tamen cuivis, sed (quod NB.) tantum doctrinæ filiis obviis) hinc inde post mortem relictis plantavit, denuò dilatavit, illustravit, & dexterrimè expolivit, in morbis desperatissimis: Leprâ, Podagrâ, Paralysi aliisque incurabilium (judicio Galenico) morborum, vulneribus diris & inveteratis, radicitus sublatis cura relicta, perpetuâ memoriâ dignissima, ut innumera metallicæ transmutationis documenta silentio jam prætercam. Habuimus hactenus aliquot Theophrasti Discipulos & Sectatores pios, qui, quâ cum laude & felicitate etiam plures morbos desperatos curaverint, innumera hinc & ubiquè non tam in Germaniâ, quam in Italiâ, Galliâ, Belgio, & Angliâ curatorum testantur exempla, & Libri de hujus nobilissimæ scientiæ amplificatione & genuinâ declaratione, præstantissimi & penè innumerabiles. Papæ! Quanta verba, speciosa fateor, sed cætera nuda, vana, mendacissima. Cætera mysterii Majestas hisce pedissequis apologis stipatur, somniis scil. & revelationibus, processibus ex Principum laboratoriis, ante sæcula conscriptis, & ex antiquis Palatiorum Cænobiorumque ruderibus effossis M. SS^tis^. Quidam potius mortem subire, quam suum secretum ulli homini revelare contestantur, & silentio pertinacissimo cuncta involvere & in tumulum secum avehere malunt.

Si Dis placet.

Interim splendida hæc mendacia elumbesque nugæ maximâ hypocrisi fictæ, cujusdam pietatis fasciis involutæ,

volutæ, olim multos deceperunt: sed cautior jam mundus, ita ut his fumivendulis Philosophiæ adeptæ studiosis, non adeò leve esset alios (nisi Leberide cæciores essent) naso suspendere adunco. Sed oportet, ut chymæriferam Alchymiam unico quasi per transennam obtutu repræsentem, ut ita horum fatuorum impostorumque somnia vel technæ omnibus innotescant, quanquam, quod ad ipsos attinet, me in hac re oleum simul atque operam perditum iri, probè noverim: sed hoc me nihil movet.

Lapidis fabula olim plures quam hodiè decepit.

Approximantem jam video horum Philosophorum turbam imaginariis titulis & Symbolis Cræso ditiorem, victu & amictu Iro pauperiorem. Hic præparare satagit lapidem ex metallis, mineralibus, lapidibus, terris, tartaro, pulvere tormentario, vegetabilibus &c. Ille ex solo sale, præcipuè petræ, asseverans solos sales in metalla transmutabiles viribusque pollere, immatura metalla lavandi, maturandi & perficiendi. Tertius ex astris, igne, aëre, aquâ, ventis, meteoris, mediantibus spiritibus, intelligentiis certisque anni tempestatibus. Quartus ex animalibus, hominum scil. brutorumque etiam abjectissimorum, ut serpentum, bufonum, ranarum, salamandrarum; glirium, murium &c. ossibus, cerebro, sanguine, spermate, urinâ; imò, quod pejus sonat (sit auribus honos) ex omnigeno stercore, præcipuè humano, volunt plurimi conficere benedictum suum lapidem, dissuadentes aliis in metallis laborem, ut infructuosum; noctes atque dies in hac fragranti minerâ ab aliquot sæculis strenuè operam navant, & in fœdis hisce scybalis Mediatorem inter hominem & metalla, spiritum mundi, primam materiam; tandem Vegetabile, Animale, ac Minerale Regnum latitare vociferantur. Ex hisce salem, quem

Doli apertio.

In sole & sale sunt omnia.

Alchymistæ se mutuò evertunt dum alius præcipiat aliud.

Ex merdis vitriolum Sapientum & Hermetis aves extrahunt.

Astralem vocant, rubrum oleum auro comparandum; quod verum sulphur cæleste salque volatile, ipsorum judicio, colore, odore & sapore jucundissimum, fragrantissimum & dulcissimum præbet, extrahere intendunt. Aliqui tamen immaculatæ puellæ puerique fæces cæteris præferunt. Quidam suavem, quem spirant porcorum cocta fimeta, odorem aliquando sunt experti, stupentes (sic scribunt,) quod res ubivis reperta, vilissima & abjecta, tanta præstare possit miracula. Apud quosdam cuncta in principio nodo Gordio involvuntur, quæ tamen postea videntur revelaturi. Alii initio omnia palam facere videntur, quæ tandem in fine, præmissis contradicendo, rursus Cæsiis nubibus reddunt tenebrosiora.

Scripta eorum sunt ænigmata.

Obscurum per obscuriora declarant, uno halitu simul calidum frigidumque expirantes; jam nihil tam facile, post nihil difficilius. Sed propriæ eorum phrases sunt in apricum ducendæ, ut liquidò constet, me candoris terminos non transiliisse. E. Gr. Ars hæc levis „est creans humorem igneum, medicinam universalem & auri argentique copiam. Gaudete jam socii, nam renidebit (si tantum vultis) auro argentoque vestra „domus. Est una vilis res ubique reperta, quatuor „inserta naturis, nube referta.

Obscurissimi sunt eorum Libri, quod Scriptores isti res alienis non proprius vocabulis nominent, & quod alii aliis atque aliis vocabulis, à se confictis, utantur, cum res non mutent.

„Hoc accipe, quod in sterquiliniis calcatur, absque „scalâ ascensurus cades in caput. Fixum fac volatile „& volatile fixum, & habebis totum magisterium. Ma„teriam suam ubique locorum reperiri & unicuique „suppetentem, in pauperum æque ac divitum posses„sione versari. Neminem fore, qui materiam ipso„rum in prætio habiturus esset, si proprio suo nomi„ne appellaretur. Hinc Sendivogius sæpius se non„nullis de verbo ad verbum artem revelasse fatetur, „qui

Jam ars inventu est facillima.

„ quibus tamen incredulis, & nimis alta ſapientibus ve-
„ riſimile fieri non potuit, quod margarita adeò precio-
„ ſa in ſubjecto adeò contempto (merdâ ſcil.) abſcon-
„ ditum latitaret. Imò & hoc adjungit, artem & mate-
„ riam univerſalem manu facilius palpari, quam inge-
„ nio excogitari & inveniri poſſe. Addit: cave tibi à
„ retortis, crucibulis & veſicis, nam munifica natura
„ hæc omnia ſpontè facit. Sed paginam verto & ilicò
„ phalerata hæc verba in fumos abeunt: Poſt mille la- Jam difficillima.
„ bores tantum Prædeſtinati artem aſſequuntur. Nun-
„ quam aliquis Chymicus adeptus, materiæ nomen ve-
„ rum nominavit. Non quodvis ſuccedere cuivis. Be-
„ nedicti univerſalis materia ex longinquis Regionibus
„ ingenti labore & ſumptu petenda eſt. Magnum uni-
„ verſale antiquis Philoſophis fuit notum, & de hoc
„ magnificè & verè ſcripſerunt, unicus enim illis in-
„ ſcribendo fuit ſcopus, ut perſuaderent hominibus, ta-
„ le eſſe in rerum natura opus atque artificium, atta-
„ men nemo, licet vel doctiſſimus & ſubtiliſſimus ſit, in-
„ dè aliquid exhauriet, niſi ipſi antea à Deo fuerit pa-
„ tefactum. Præterea pietate, jejuniis, eleêmoſynis &
„ præcibus, acquiritur Lapis: igitur arcendum vulgus
„ profanum, atque ut ſeſe abſtineant milites, ganeo-
„ nes, calumniatores, tyranni, avari, ſuperbi &c.
„ clamitant: tantum Sanctis & Piis fores hujus Sanctua-
„ rii patent. Arrigite aures & canentem auſculta:

Huc veniat patriæ Codrus pietatis amator
Et quicunque Deum & Sydera ſancta colit.

Quam Phariſaicè! Sed quî hæc omnia jam cohærent? quænam eſt aſſertorum connexio? Nulla; ſed omnia ſunt Ἀπροσδιόνυσα & contradictionibus refertiſſima. In-

terim hoc Paracelſi pecus, admodum magnificè de ſeſe ſentiendo, nullos, præ Algemiſtis, veros novit Philoſophos, verenturque ſapientiam cum illis morituram, quod tamen condonandum eſt his morionibus, ullumque vix crediderim illis inviſurum, quia illorum Patriarcha Paracelſus fatuos, Phrenæticos & Maniacos longè antecellere, omnes Philoſophos pro more, myſtis & plumbeis ſuis argumentis probare nititur.

Satanæ ſuppetias quidam implorarunt.

Quidam, ut ſibi majorem apud alios exiſtimationem conciliarent, familiarem cum ſpiritibus & dæmonibus finxerunt converſationem. Poſt initum cum diabolo pactum, ejus ſuppetias implorarunt alii, qui, ut fertur, Alberto cuidam in formâ oblongæ umbræ, Nigricantis primò, poſt Cinereæ, Albæ, Flavæ, tandem intenſè Rubræ apparuit, conſultuſque, horrendâ voce reſpondit: *Solve & coagula, plus dicere prohibeor.* Quaſi verò ille artifex ſtupidum Chymicaſtrum per hanc colorum metamorphoſin, imaginarii lapidis fabricationem ejuſque prædicatos effectus docere voluiſſet. Sed minus rectè hi Philoſophi per ignem philoſophantur, de hoc phantaſmate mihi longè alia mens eſt: Algémiſtam ſcil. carbonibus nigrum, curis canum, paupertate pallidum, ex adulterandâ monetâ flavum exſiccatumque, tandem libatione ſui rubentis ſanguinis ſuorum ſcelerum pœnas laturum. Dignum ſanè tali patellâ operculum!

Tandem fraudes eorum capite plectuntur.

Nil magis admirabile pervolventibus horum miſerorum ſcriptis videtur, quod quanquam maximo ſuo cum damno & probro Paracelſicæ hæreſeos falſitatem ſint experti, ſermone tamen & ſcriptis, quanquam mendaciſſimis, ad extremum vitæ halitum eam defendant aliiſque perſuadere conentur. Quis jam, præter Beckerum, effaſcinatos non diceret hos nefarii Paracelſi ſectarios? E. gr. Finge tibi talem Phræneticum, igne, labo-

laboribus & curis, nocte dieque desudantem, omnesque suas facultates, integras domos & fundos per caminum efflantem, donec: *deceptus & exspes, nequicquam fundo nummus suspiret in imo.* Cæterò mente corporeque sanum & in omnibus sibi egregiè sapientem, diceresne hoc toxico, quasi Diaboli fascino, infectum? Mihi saltem quadam vesaniâ laborare, atrâque bile turgere videtur, Ejusmodi tamen naturæ portentum, virum alias doctissimum atque Clariss. nec minus quondam opum divitem, (cujus nominis jam oblitus sum) ante annos aliquot, jam Iro pauperiorem, extremo sua fata die in nosocomio Basiliensi clausisse, miserente ipsius quovis Spectatore, memini.

Vel saltem paupertate pressi ad peram & baculum rediguntur.

Proluvium illorum à quibus in re honestâ citius dentem excudisses quam nummum.

Hodiè inter gentes nulla magis quam Itala Germanaque hunc Molochum colit, ejusque sacris insudat: nec miror, in solo natali hanc Zizaniam altissimas egisse radices, quoniam sparsim alibi etiam inter Nostrates ejusmodi huic Numini sacramento obstricti Lychnobii, in latibulis dilitescunt. Plin. L. XXX. C. I. refert Brittannos mirè insanivisse in Magiam usque ad ipsius ætatem; sunt adhuc qui in Alcumistica parum sobrii sint, quanquàm lex capitalis apposita est. Parisiis ante 50. annos in lapidis investigatione sese macerantium numerus, quater millesimum excedebat. Horst. Obs. Med. p. m. 347. De Sinensibus testatur Adamus Olearius; quod Alchymiam strenuè colant, & in laboratoriis plurimum temporis terant, sæpe cum jacturâ omnium suarum facultatum, jugiter desudantes, ut ex sequioribus metallis argentum, & medicinam mortalibus in hoc mundo immortalitatem afferentem, elaborent: semper tamen simili ut apud Europæos eventu.

Utplurimum sunt Melancholici.

Itali Germanique maginariam hanc artem deperiunt.

Abhinc duobus (ni fallor) annis, jactabat Amstelodami quoddam ex hoc grege pecus inventum, (ut cum

Ar-

Archimede loquar, centum boum mactatione dignum; & hoc omnibus obviis maximâ hypocrisi persuadere conabatur, donec nimis credulum quendam fallaciis suis irretiebat, nec absque lytro aliquot millium florenorum ex suis cassibus solvebat; siquidem ut piscis non capitur absque escâ, ita aurum Algemistis non provenit, nisi pars auri admisceatur.

Alchymistarum fraudes & imposturæ.

Consistebat mysterium ex argenti limati librâ unâ, cinabris tantundem, hæc cæmentata in duobus arctissimè junctis probèque lutatis crucibulis, per 24^{or} horas aperto mandabit Vulcano; & ecce miraculum! Argentum enim quatuor unciis auctum retrahebatur ex crucibulis, annuncians artificibus aureos in propatulo montes: sed proh dolor! *gaudia principium nostri sunt sæpe doloris.* Liquefacturis hoc argentum, vagus ex cinabari Mercurius, triste *Vale* denuntiavit, seque in fugam conjecit, quem brevi Impostor, ob pœnæ metum, insecutus est.

Aurum ex aripigmento vel argentum ex plumbo candido in copiâ conficere promittunt.

Alius Sycophanta sese adeptum Benedicti Universalis glorians, nuper in eodem Oppido sua arcana cuidam mihi noto gemmario offerebat: sed hic cautior præcedenti, artem arte deludebat, & pauperculum magnamque pietatis speciem præferentem Chymicastrum, deridendum exposuit. Perdidisset non valdè pridem ejusdem farinæ quispiam opulentum mercatorem, nisi honestus quidam Pharmaciæ chymicæ cultor, (qui mihi fabulam narravit) in tempore hypocriticas technas nebulonis mercatori detexisset, cui etiam in benefacti testimonium centum aureos donabat. Præstigiator hic per excavata, quibus utebatur, instrumenta, aureos pulvisculos crucibulis injiciebat, aurumque granulatum abscondebat carbonibus & tigillis. Mihi ipsi adolescenti cum aliquot sodalibus lucri novita-

Alchymistarum technæ deteguntur.

tisque avidis similis corporibus oberransque Dæmon quondam imposuit, ex argento vivo fixum facere se posse præferens. Hoc secretum nobis ex pacto certâ pecuniæ summâ, sub æterni silentii Sacramento, revelaret. Sed labor irritus, frustrataque spes nostra: Interim (pro more) modicâ summâ nos emunxit circulator. Sed ne longus sim, ac rem in compendium conferam, Michaëlem Majerum horum Phræneticorum technas, fraudes, dolosque, quibus utuntur, in suo fucorum examine, describentem, Lectoribus commendo.

Interim quidnam veri falsique sub larvâ tanti decantatissimi lapidis lateat, quantumque sit in rebus inane, mihi incumbit investigatio. Ut decentiori tamen ordine procedat noster sermo, in antecessum paucula de metallorum præparatione, naturali genesi, & accretione, sunt præmittenda, ut tantò liquidius constet, quid ars in eorum destructione & Metamorphosi valeat, quid ferre recuset. Investigatio in lapidem.

Artem in metallis elaborandis, eaque etiam tum in alias res, velut in lapides, vitra, aquas, liquores perspicuos, servata mistione mutandi, posteaque, reducibiles, spiritus, olea, sales, calces &c. transformandi, tum inter se, potissimum ob conjunctum commodum & necessitatem, virulenta in salubria, viliora in pretiosiora, aut saltem minus ad usum necessarium copiosa, permiscendi, *admodum vetustam & semper & jam excultam esse, passim veterum scripta testantur*, lippis tonsoribusque est notissimum, per Vulcanum Anatomicis tamen, cæteris evidentiora, hæc sacrarii adyta patent: sed ignobiliorum metallorum in nobiliorum, speciatim in auri transmutationem, ab adversariorum myriadibus tam pertinaciter dente Theonino arroditur, ut

quamvis hanc oculis viderent manibusque tractarent increduli, sese præstigiis delusos exclamarent. Nec miror; cum enim olim Platonici & eos secuti Academici Pyrrhoniique omnem fidem sensibus subtraxerint, nihilque affirmati comprehensique esse obnixè contenderint, non est mirum inveniri hodiè horum simias, qui non credant, quod ipsi vident, quanquam sæpè tam mendacia figmenta proponant illi ipsi, quæ longè incredibiliora sunt, quam quod ex atomis Democriti fabricatum esse mundum constet. Sed transgredior ad metalla. *Metallum* (à παρὰ τὸ μεταλλᾶν, quod sedula inquisitione per scrobes, cuniculos; lavacra, ramenta & puteos sit investigandum, vel quia alterum in alterum transire potest, ut ferrum in æs; plumbum in stannum; argentum in aurum &c.) *est corpus minerale, ex succo mercuriali concretum proximè, fusile ignibus ictuque mallei in longum & latum ductile, inque profundum coactile: vel metallum est substantia admodum solida & rigida, ex succo salino seu spiritu in terra coagulato; vel durum est & prius ignitur, quam funditur, vel molle & prius funditur, quam ignitur*. Duo nobilià ut aurum & argentum; Quatuor ignobilia ut æs, stannum, plumbum & ferrum, audiunt, quibus additur in numeri septenarii complementum, (inditis tum una Septem planetarum nominibus) argentum vivum. Quod ad ortum attinet, ego putem certo terrarum generi, ab initio, benedictione Divina, inditam esse vim metalliferam, quæ postea datis causis externis in actum erumpit, suoque nutu provehitur ad substantiam metalli perfecti, & quidem intentione (ne horrete Novatores!) naturæ: imperfecti verò ob quædam externa; & materiam esse in illo terrarum genere non simplicem; sed humorem unctuosum mistum certâ spe-

Quidam ex Sale, Sulphure & Mercurio vel ex succo salino seu spiritu in terra coagulato. Alii ex arsenico, calce, arenis, halitibus, vaporibus, aquis imò ex omnibus elementis volunt prognata metalla.

Ex Dei sapientiæ thesauris æternis prodierunt metalla.

Metalla ab exordio sunt seminiformi.

Deuter. 8. dicitur terræ promissæ lapides esse ferrum & æs è montibus effodi.

ſpecie terræ, quæ formam ſucci aſſumere queat: qualis eſt vitriolum & ſulphur, quæ ſunt reſolubilia in ſuccos; humor verò ille mercurialis eſt, ſpecieque vaporis perrepens mineras, comprehendit illas terras, ſecumque in ſuccum unit, qui poſtea principio formativo concepto proficit in mercurium metallicum & hinc in metallum, aſtipulantibus activis. Non differunt à ſe invicem metalla, niſi quod magis vel minus puriora ſint, & in locis & partibus Terræ purioribus vel impurioribus inveniantur; hinc in locis arenoſis ferè ſemper aurum reperitur, quia hi loci puriores ſunt cœnoſis.

Metalla certo loco & non ubivis nec extra locum nativæ matricis gignuntur.

Cauſa activa in ſpiritu fæcundante, paſſiva verò in humore conformi eſt.

Quanquam enim è fluviis item colligatur metallum, non tamen in eis natum eſſe putamus, ſed vel abraſum productumque è minerâ: vel detectum impetu aquæ & ſaxorum provolutorum; & ſic ortus reſpectu omninò fit minerale, foſſile, ſubterraneum, terræque fœtura.

Si Hiſtoricis fides, naſcuntur metalla in ſubterraneis, ſicut vegetabilia, facie plantarum ex trunco in ramos diviſarum, quas venas vocant: certas formas in libero aëre, dum ſuccis permiſcentur, acquirunt: quin & ſurſum contendunt, ut plantæ & non raro digitos, cubos, pyramides, filamenta comaſque ſuas in terræ extimo oſtentant. Hinc vegetabili virtute ſeminantur: æs enim minutatim contuſum, teſtante Ariſtotele, à Cypriæ ruricolis ſeminatur, emiſſiſque aquis augetur colligiturque. Scrobes impletæ aquâ ferrugineâ ferrum gignunt: ita in Pieria Macedoniæ ab antiquis Regibus defoſſum quatuor foveis, aurum renaſci tradiderunt ſeſquipedali magnitudine. Apud Garciam Lib. 1. cap. 47. extat ſimilis de adamante cæteriſque gemmis hiſtoria. De vitibus claviculas foliaque aurea progignentibus,

Semnifica vis metallorum.

bus, referunt Mizaldus & Merula. De accretione metallorum multa ſparſim per ſua opera habet expertiſſimus Glauberus. In boletis Bohemicis nuper argentum eſt inventum. In quadam Bohemiæ ſylva, aliquis virgultam argenteam, unius cubiti longitudine hominem ſuperantem, repperit. Ibidem expullulans è terra aurum, ad inſtar minutiſſimorum filorum vitis ſarmentis, ſeſe contorquet. Aliquando arborum medullæ includitur, & per omnes ramulos in forma tenuiſſimorum filamentorum deſpertitur.

Vid. journal des Sçavans de l'an. 1683. pag. 156.

Ciſos lapides, præſertim cæruleos ex Leodico, rubros ex Suecico agro ad nos allatos, aëre & tempeſtatibus decreſcere & conſumi, & è contrariò, dum cum maternâ adhuc eſſent mole uniti, accreſcere, attentioribus patent. Rectè igitur vulgò exciſus mortuus, fixus ſeu rupi adhuc unitus, vivus vocatur lapis.

Similium infinita plura poſſent in apricum produci exempla, ſed ſuperſedendum, ut his qui metalla, mineralia, nec lapides amplius non naſci, nec accreſcere: ſed primævam habere ex creatione originem & materiam ſui generis ſingularem contendunt, etiam locus ſit. Antiquam hanc opinionem nuper renovavit quidam Anglus, ſat ſpecioſis argumentis aſſerens: omnia metalla mineralia & lapides, quæ jam inveniuntur, ante diluvium univerſale fuiſſe, hæcque poſt hunc generalem cataclyſmum non aucta, ſed ſemper diminuta.

Woodward an eſſay toward à natural Hiſtory of the earth part. 4.

Comparentur jam hæc cum prædictis, Lydioque hoc lapide explorentur & protinus falſi argues hanc opinionem. Nec mirum, ſimiles Triclinarios Scriptores in ſuo Antro Platonico minus videre poſſe oculatiſſimis metallorum foſſoribus, magiſtris, fuſoribus, probatoribus, monetariis, excoctoribus Chymicis &c. quibus ferè nunquam à manu diſcedit metallicis labor, qui-

que omnes perreptant ſedulò venas, & obſervant miram earum accretionem. Suffragari tamen nolim quibuſdam hiſtoriarum compilatoribus cuncta prodigiis refercientibus, ſcilicet: metalla & mineralia ubique terrarum, etiam in omnibus quatuor elementis, vegetabilibus, latrinis & cloacis gigni; in nubibus genitum, ex aëre depluiſſe; ferrum mari innataſſe; ex multo igni provenifſe; imò in viventium dentium alveolis, defunctorumque craniis repertum fuiſſe aurum; non ſolum hominum brutorumque oſſa, ſed integra eorum cadavera in metalla & lapides converſa. Quod haud raro vaccam ruſticus petit lapide, ipſam vaccam pretio ſuperante.

De dente aureo pueri Sileſii Horſtius & alii.

Sed tædet hiſce Legendis, utpotè ex mutilatis rerum hiſtoriis prognatis, nec candoris lardo, ſed craſſis mendaciis probè transfixis, diutius inhærere. Valeant igitur hæc otioſorum hominum commenta & perſcrutemur, quid æmula naturæ ars in metallorum, & quidem præcipuè in auri argentique tranſmutatione polleat. *Franciſc. Bacon. opuſc. philoſ. pag. m.* 153. Quod ad principiationem attinet, affirmare non poſſum, utrum tale quidpiam in rerum natura ſit, nec nè? Chymicoſque in eo nimium deſudare exiſtimo. Sed utcunque ſit (num ſolutio; aut extractio, aut verò converſio, fiat per ignem) ſedulò quærendum eſt, qui ſales, ſulphur, vitriolum, mercurius, aut corpora iſtiuſmodi ſimplicia, in ſingulis metallis reperiantur; & quâ quantitate.

De arte tranſmutatoria.

Quomodo ex ferro fiat æs & vitriolum, ex ære ærugo; ex plumbo ſtannum & ceruſſa &c.; ex ſtibio plumbum naturâ & arte; ex arenâ vitrum, quomodò orichalcum & æs moſſynicum infinitaque plura conficiantur, non morabimur, quanquam & in hiſce tranſmuta-

Quo sensu Alchymia ars certa dici potest.

tionis veritas clarissimè liquet: sed investigabimus, quomodò projectione famosissimi lapidis, possunt mutari viliora vulgò & imperfecta metalla in aurum.

An sit, quinam sit, ex quibus componatur & quomodò & in quæ agat hic lapis, omnium Nationum ævorumque Eruditiores inter sese altercantur. Pars maxima, Veterum Chymicorum scripta secundum literam intelligens, irrito successu oleum & operam perdidit. Cautiores alii ænigmaticè, parabolicè & hieroglyphicè volunt intellectos terminos, quibus Antiqui mysta sua Posteris reliquerunt: & revera Phœnices, Ægyptios, Chaldæos Hebræosque, quos imitati quondam sunt Græci, veluti Pythagoras, Democritus & alii, populo denegata Philosophiæ arcana, hisce fasciis involvisse constat; atque etiam in Prophetarum Oraculis legere est, potestque aliquid ex Salvatoris modo, in docendo Populum, colligi.

Esse in rerum natura aliquod corpus minerale lapidi, pulvi pultive forme, vel (si mavis) tincturam essentiam &c. quod in exigua quantitate possit plus corporis alterius mineralis imperfecti seu potius vilioris metalli perficere & in suam primam essentiam vertere (fide dignissimorum Scriptorum autoritatibus, ratione & autopsiâ edoctus, omnibus cum suâ arte nondum mortuis artificibus) astipulor. Hanc materiam sua natalia auro argentoque debere, stat apud me sententia. Ex his extrahitur. Ex his per congruens menstruum, mediante Vulcano, reseratis eorum claustris, conficitur, fitque causa efficiens suâ inseparabili tincturâ seu animâ, in subjecto congruo, & proportione, seu pondere corpori, à quo separata fuit, conveniente & benè præparato, transfigurationis. Aurum enim sicuti argentum in partes nobiliores & ignobiliores

Resolvitur mistum in componentia.

biliores separabile est, & proin reducibile, in essentiam tingentem liquoremque potabilem. Hanc auri (aureitate illæsâ) destructionem quadantenus norunt, qui unquam ejus crocum confecerunt, quippe solutâ ejus compage, destructâque ultimâ formâ, imperfectionis formam inducunt, ejusque exaltatam animam (sic vocant) sulphuream auro multò perfectiorem, relicto suo corpore nigricante, eliciunt. Hæc radicalis & seminaria vis vel anima auri adeò activa est, ut à suo corpore liberata, omnia reliqua exsuperet metalla, proportioneque conveniente, in suam naturam vertat. Elicitur etiam ex auro aliquid chalcanthi, redigitur in flores, vitrum, crystallos; solvitur in calcem, salem, aquam: prædicta de auro, etiam de argento intellecta, volo. Duplex aurum efficitur arte, unum apparens, quod assequuntur misturis, tincturis aut gradationibus, ut in præcedentibus. Alterum in cujus materia instituerat quidem auri generationem natura, sed impedita, aut alias intercepto motu, non absolverat, quomodò immaturum aurum in venis vigere norunt & maturando exaltare: hanc materiam *Kur*, *Adrot*, *Azop*, *Donech*, *Nostoch*, *Limum aureum &c.* vocant: efficacia enim artis, quæ naturæ imitatrix, tantum valet, ut etiam huic assistere ejusque motum promovere possit, seu ad finem omninò seu quadantenus. Metalla verò consistentiam liquidam habuisse, docuit autopsia multaque experientia. Hæc imperfecta metalla fossores non ignorant, viderunt incoagulata primum, post concrevisse: viderunt expertique sunt in potentia, post, coctione absoluta. Alicubi post præfractam venam ferri in pultem quandam inciderunt, quam ferri matrem crediderunt, quin certâ fide didicerint. Ex ejusmodi steatomate compertum est enatum argentum pilosum villosumque & cris-

Artificium de metallis aliis in alia mutandis.

crispum. Multotiens inventum argentum molle instar pultis est, quodque super candela fluxerit. Traditur quorundam fluminum aurum initio molle & facile liquatu, sed postea absumpto humore evadere durissimum.

Quomodo ex sequioribus metallis conetur enixè factitare aurum Alchymista.

Famosissimam Alchymistarum doctrinam, quæ omnibus metallis, mineralibus, & salibus &c. non solum inesse aurum docet, sed (uti volunt,) animam auream à proprio corpore separabilem, & quæ aliud animare possit, jam indagare superest. Asserit hæc Vulcani prosapia, sequiorum metallorum mineraliumque &c., (ut absurdarum, de quibus in præcedentibus, transeam) animam, non minus, quam ipsius auri, nobilem. Hinc omnes intenderunt nervos, ut crassa illa corpora evertere, eorum animam puram elicere, & in meliora (seu arte, seu naturâ, seu solâ efficacissimi hujus agentis virtute) puricraque transferre corpora; & consequenter imperfecta & ignobilia metalla, immenso suo cum emolumento, in nobilissimum & purissimum, nec naturali inferius aurum, convertere possent. Allegant, Saturnum nihil esse, nisi impurum immaturumque argentum, hoc iterum tantum colore, quem potest, (sic dicunt) ars donare, ab auro differre, volunt.

Hæc ars olim cum primis erat celebris apud Ægyptios, per quam (sit penes Autores fides) opes & divitias maximas Impetrabant; ita ut Diocletianus imperator eos ante superare nequiverit, quam omnes eorum libros combusserit.

Inter alios, hæc etiam sententia expertissimum Glauberum; Propugnatorem habet; & quidem præcipuè his verbis: *Anima igitur, cum omnibus attributis metallicis, consistente in tam exiguâ quantitate, quæ vix centesima pars ponderis, quâ extractâ & separatâ, corpus reliquum non amplius metallum, sed terra quædam est inutilis & mortua; non dubitandum, quin fixata denuò corpus aliud metallicum reassumere & perficere possit. Quare firmiter credo, persuasus prædictis rationibus, ejusmodi parabilem esse medicinam, è rebus*

Glauber. Furn. Philos. p. v. pag. 49.

Idem Furn. philos p. iv. pag. m. 45. de lapid. philos.

rebus mineralibus & metallicis, in fluxu nimirum transmutantem metalla imperfecta in meliora. Hæc ille. Secundum alios, alio modo aurum argentumque è quovis sequiori metallo &c. separatur. Admixtum scilicet vilioribus & impurioribus metallis &c. aurum vel argentum separationem facit, rejicitque dissimile, attrahitque sibi simile, tanquam sui nutrimentum, convertitque in propriam suam, auream vel argenteam, substantiam: sed hæc multò falsissima sunt. Integra horum vanissimorum figmentorum plaustra possem producere, ni vererer, crambem toties recoctam, audientibus nauseam parituram. Cum sequenti Platonico dimittam igitur hos mendaciorum Encomiastes dulcisonasque Syrenes: *Ingenia prava vertere haud proclive.* Promissa cadunt in debita, vel possunt actu præstare, quod promittunt, vel non possunt: sed ipsi unanimiter conqueruntur, suam artem jam diu quæsitam, à multis annis, à variis, ad usque diem hodiernum, multis & laboribus & sumptibus, semper latere. En impossibilitatem! Concludo igitur, quod, licet in quibusdam metallis & mineralibus, præsertim in Venere, Jove & Saturno, lateant aurum & argentum, vix sufficient tamen adhibendis, propter eorum à reliquo corpore separationem, operibus & impensis, & neutiquam separatum hoc aurum, vel argentum, (quod illi vocant animam) aliud metallum, vel minerale, in suum esse convertere potest, sed semper in eâdem ipsissimâ, quâ separata est, quantitate, manet, nec ullo unquam modo augeri queit. Interim Glaubero non assentior, qui reliquum à separatione corpus, ut terram inutilem, aspernatur, quoniam dexteriores Artifices (præterquam quod duplo plus aliis: E. Gr. ex Lib. I. Saturni gr. V. vel VI. auri, vel dragmam unam argenti:

Artis impossibilitas.

Aurum, quod ex sequioribus metallis separatur imperfectiora metalla in suum esse convertere nequit, sed cum auro vulgari in omnibus convenit.

Q Alii

Alii vero vix gr. II. vel III. auri, vel ſcrup. duos argenti, ex æquali plumbi pondere, elicere poſſint) hanc ſuo auri exutam molem in formam priſtinam, nec uſu priori inferiorem, reſtituere norunt. Ab iſtis tamen haud tantoperè adhorreo, qui ſentiunt, quod ſicut auri & argenti, ſic quoque ſingulorum metallorum tincturâ, ſeu animâ, ritè à ſuo cadavere ſeparatâ, aliud aptum corpus iterum animare, & in ſuam primam exiſtentiam vel eſſentiam mutare poſſit, & idcircò æque benè anima; cupri cuprum, ſtanni ſtannum, ferri ferrum, quam auri aurum, argenti argentum, &c. denuò producere, ſemper tamen in minori quantitate, quam fuerit ejus primum corpus, à quo disjuncta fuit. Interroganti autem, poſito, non conceſſo, aureitatis micam ex ingentibus ſequiorum metallorum maſſis &c. poſſe ſeparari, compenſabitne exantlandos eapropter immenſos ſumptus & labores? Reſp. minimè gentium imperitis & bardis, modicum tamen quæſtum, atque, ut habeat, undè honeſtè vivat, ſuppeditabit dexterrimo Separatori.

Simile generat ſibi ſimile.

Magis extra oleas vagantur, qui putant, artem ex merâ ſui facultate tranſmutationem facere, requirentes à Chymico, ut aurum faciat manu, ut calceum ſutor; Sed hi cachinno excipiendi. Tandem artis poſſibilitatem & potentiam in parvo (abſque multo lucro tamen) credo; Algemiſtarum verò prodigioſa Encomia imaginarii, mendacis & infamis Lapidis in tranſmutatoriâ abominor, nec magni æſtimo decantatiſſimæ hujus Panaceæ, in arte medicâ, vires atque virtutes. Gratis aſſeritur, in ipſo potentiam & proprietates omnium vegetabilium, animalium & mineralium latere, atque vim omnium morborum curativam poſſidere; nec magis opus eſſe, officinas tot phiolis, cantharis & pyxi-

Ridicula quorundam opinio.

Ars ſine lucro.

Vana & nuda Chymicaſtrorum verba.

pyxidibus replere, vel tot ſumptus inſumere in tot ſpeciebus peregrinis medicinalibus adferendis quia unus, unicè, ſemper, omnibus, & in omnibus ſufficeret hic Lapis. Sed utinam! proderet tandem ille, qui tot millibus annorum prædicatum lapidem uſu ipſo comprobaſſet ſalutarem, reſarciturus ex vanitate, arrogantiâ & mendaciis connexum, & per tot Alexandros diſſectum nodum. Deſcribendo Sophorum Lapidis præſtantiam inter viventes, penè oblitus eram, ejus in moribundos & mortuos benevolentiam, & præ cæteris prærogativam: In limine enim mortis exiſtentes, vel ejus ſoluti unicâ guttulâ in os inditâ, recreari, & à Charontis cymbâ retrahi, mortuis verò infuſa adeò vegetos floridoſque & integros manere, tanquam ſuavi ſomno occupati obdormiviſſent, abſque corruptione, ferunt. Sed exempla talium effectuum eventuumque adhuc requirimus, & vereor, ne omni carituri ſimus, uſque ad reſtitutionem ſæculi.

Veri Adepti ad Calendas Græcas exſpectantur.

Lapidis circa morientes & mortuos prærogativa.

Quis jam non miretur, hoc otioſorum hominum inutile commentum, à tot ævis & à tot tantiſque omnium Ordinum Nationumque hominibus, relligionis inſtar, huc uſque obtruſum, poſteriſque commendatum, nec ſimul deploret mortalium vanitatem, qui, neglectis Divinis & ad æternam ſalutem conducentibus, breviſſimam ætatem nugis terunt; ac proindè meſſem faciunt ſegeti conformem, quod cæcis ethnicis quadantenus condonandum, è contrà haud remittendum eſt hominibus Chriſtianis, ſpecillo Revelati Verbi oculatiſſimis, peccatum.

Deploranda mortalium vanitas.

Vidiſtis, Lectores, leviculam hæreſeos & Legendarum de Sancto Lapide Philoſophorum adumbrationem, in gyrgathis locati idolatræ Adepti, per cancellos veſanis ſuis Sectariis, quod de Idoli fabula &

Quorundam horum morionum finis. Horum plura qui desiderat, videat Basil. Valentin. Lullium Paracelsum Turb. Philos. Tabul. Smaragd. Pantaleon. Sendivogium Helbigium Lacinii, coll. Snyder. Vreeswyk & alios.

de inventis divitiarum cumulo & honorum fastigio dignis, superest, idem millies repetendo, narrabunt: sed quoniam mihi nec lubet, nec placet horum morionum deliramentis auscultare, cum sequenti *Vale*, pro colophone, ad utiliora transgrediar.

Alchymia est scientia sine arte,
Cujus scire est pars cum parte,
Medium est strenuè mentiri,
Finis mendicatum ire.
Etiam ad crucem pervenire.

CAPUT. VIII.

De utriusque Sexûs Agyrtis.

Fingit se Medicum quisquis Idiota pro phanus.

Judæus, Monachus, Histrio rasor, Anus.

Agyrtæ Medicorum simiæ.

Est aliud hominum genus, (de quibus dicendum foret, se hoc unum scire, quod nihil sciant) ad ludibrium artis natum, qui sese vulgò Operatores vel Orvietanos vocant. Angli *Montinbancos* hos, Galli *Charlatanos*, Itali *Ciarattanos*, Germani **Teriacks-Kræmer / Storier / Land-fahrer**; Nostrates **Quacksalvers**; nuncupant, quorum unus olim mihi, Germaniam suam fœcundam matrem, Hollandiam verò optimam nutricem esse, confiteri non erubuerit: Hinc multi putant, quod sicut asperrimis montibus & clivis, profundisque vallibus horrida Sabaudia, cæteris Europæ Regionibus caminorum Purgatores & Mendicos, sic Germania Agyrtas, suppeditet. Et mirum non est, quia in pluribus Germaniæ oppidis, Pharmaciæ vel Chirurgiæ Tyrones, post absolutum Tyrocinium & artis specimen, non statim ad Magisterii digni-

tatem

tatem admittuntur, multò minus iis conceditur, ut officinas publicas instituant vel lares figant.

Ex quibus regionibus plurimi ad nos accedunt.

Paucissima, quanquam instructissima, in Germaniæ urbibus sunt Pharmacopolia, plures quidem Chirurgorum officinæ: sed hæ omnes olim coaluerunt in publica Collegia, tot & tantis Privilegiis, Legibus & Regulis, præcipuè quod ad numerum Sociorum, à Magistratibus munita, ut Candidatis expectandum sit, donec Sociorum aliquis viam lethi calcet, & tunc nondum omnibus promiscuè ad Magisterium via aperta est, quia hoc plurimis familiis hæreditarium est; id est, si defuncti Pharmacopæi Chirurgique vidua, Filius, Filia, Gener, Nepos vel Cognati, officinam continuare velint, (quod ferè semper fit) frustrà ab alio competatur.

Qua ratione hoc fiat.

Quid jam agent illi repulsi? Vel ad vitam Magistris servire, vel in ignobili vico, vel obscuro pago aliquo officinulam instituere, vel peregrinas Oras perlustrare, & ut sibi victum parent, haud rarò agyrtam agere coguntur. Hæc tamen repulsa Chirurgiæ, quam Pharmaciæ Tyronibus, est tolerabilior, quoniam sæpissimè privatis Dynastis vel Nobilibus, barbi-tonsorem agendo, inserviunt, vel castra, cum munere tonsoris castrensis seu vulnerarii, sequuntur.

Ex dictis jam satis patet, cur dentur Circulatorum Plantaria, & ex quibus oris per totam Europam dispergantur.

Attamen nondum illi sunt pessimi, & aliquatenus in quibusdam tolerari possent. Magis abominandi Galli, Itali, Angli & Nostrates, ex fece Plebis Blatterones & Bardi, qui vix prima elementa Alphabetæ, (taceo scribere vel legere) norunt, nullâ artis Pharmaceuticæ nec Chirurgicæ, multò minus Medicæ instructi scientiâ

Quales Agyrtæ pessimi sunt.

tiâ & imbuti disciplinâ, profanas manus in Sacram Medicinam injiciunt, miseros spoliant, & tanquam clandestini Sicarii, vel Carnifices Privilegiati, impunè de corio humano ludentes, innumeros in orci fauces præcipitant;

Et mirum est, cum plurimi Medicorum electione admodum cauti sint, ut, si Medicus quispiam alicubi sedem fixerit, non nisi post longum tempus ipsi sese credere audeant, accedenti tamen perfrictæ frontis Agyrtæ, & per aliquot hebdomadas commoraturo sese statim confidant, &, quod sæpè observavi, infima plebecula, quæ vulgò paupertatem suam, & rei familiaris tenuitatem Medicis objicit, pecuniæ interdum satis magnam quantitatem, imò postremum nummulum audacissimis his Sycophantis obtrudat.

Rident interim hominum levitates nostri mundi deceptores, qui, ut merces suas divendant, magnificis & splendidis encomiis, testimoniis & picturis ante tabernas in foro suspensis, eas commendare non erubescunt.

Et quoniam ut plurimum ex viciniâ nihil testimoniorum possunt adferre, omnia ex remotioribus (nam minuit præsentia famam) ubi fama major est, quam res ipsa, majoremque exsuscitat admirationem & fiduciam, adsciscunt hi vanissimi, ingenio subdolo, versipelli animo, effrænata linguâ ac inverecundâ, perversissimis moribus Scurræ, atque sine lare & tecto homines.

Mores & fraudes circumforaneorum describuntur.

Vidi ego qui ferè integri plaustri vecturâ testimoniorum & commendationum Cæsarum, Regum, Principum & Magistratuum onusti, in publicum prodirent, & coram populo ostentarent; & tamen hæc omnia, vel

sub-

ſubreptitio modo acquiſita, vel prorſus ficta, multòque falſiſſima erant.

Sic Lutetiæ, Coloniæ Agrippinæ, Francofurti &c. noſtriſque in oris vidi hujus farinæ homines, magno faſtu & pompâ & maximo famulitio ſtipatos, omnes diſcoloribus veſtibus, (vulgò *Livrey*) amictos, in theatrum prodire, ita ut Principem, vel Regulum aliquem videre putares, (Reges enim ſimulant, cum homines flocci ſint) qui tamen nihil, præter tres quatuorve ineptiſſimas nugas venales (quibus ſexcentas adſcribebant virtutes) haberent, & veſperi poſt finitam hiſtrioniam, iterum deplumes, comitatui ſimiles eſſent.

Horat. introrſum turpes ſpecioſi pelle decora.

Hâc interim novitate permoti homines, ad illos, tanquam ad Jovem Soſpitatorem, conſumpturum ſuo fulmine omnes in loculis nummos, advolant, immemores, quod *procul à Jove, procul à fulmine.* Tandem poſt acceptum damnum, ut Piſcator ictus, ſapere incipiunt, donec novus inter Solem & Orcum errans, & cæcutiens vagabundus Latro, priſtinam cantilenam repetat, & his hominibus levibus maximâ cum carnificinâ marſupia, ſanguinem & animam, per virulenta remedia extorqueat. Sed quoniam ſinguli decipere & decipi poſſunt: nemo omnes, neminem omnes fefellerunt; tandem, dum ſcelera palam fiunt, foro cedit & aufugit.

Quis enim omnes horum Nebulonum fraudes vivis coloribus adumbrare poſſit? Quis grandiloquentiam, temeritatem, vafritiem, ineptiam, vanitatem, latrocinium & fictam pietatem, (quâ nil violentius eſt ad occupandos animos imperitorum) horum nefariorum ſcurrarum deſcribere queat?

Sin-

In Ægypto quodlibet membrum corporis peculiarem & sibi proprium olim Medicum habebat assignatum, quorum alii Ocularii, alii Dentarii, alii Auricularii. &c.

Singuli ſeſe novo nomine baptiſant: quidam Medici Ethnici, Judaici, Turcici, Indici, Hiſpanici, Gallici, Anglici, Germani, Regii; Principis &c. alii Ocularii, Dentarii Auricularii &c. tertii Virorum Mulierum, Senum, Prægnantium, Infantum titulis gaudentes.

Hic labia leporina, mammas, calculos, hernias clavos &c. ſecat, vel potius ſecandi notitiam præ ſe fert, & de eâ gloriatur. Ille diſlocata membra reſtituit; Plagas ſanat, cataractas, dolorem tumoreſque tollit: & ſuam in obſtetriciis peritiam & operam nimis credulis & meticuloſis offert mulierculis; Alter, de Orvietano, ſeu Antidoto ſuo, Balzamo vulnerario, Unguento ad Ambuſta, Emplaſtro Odontalgiaco, Pulvere Dentiricio, infami Proteo, ſeu omnium colorum & nominum capaci; *Therebinthinæ Oleo*, præcipuâ Agyrtarum aurifodinâ, multa inconcinnè garriunt, craſſaque ſua mendacia ſcurrilibus jocis condiunt.

Scorta circumducunt hi ganiones, ut meticuloſas mulierculas, occultos ſuos languores illis revelare verentes, per has ſuas impudentiſſimas medicaſtras decipiant.

Innocuos pulveres pro Arzenico vel Sublimato aſſumunt, ventriſque intumeſcentiam fingunt, vel ſi revera hæc venena aſſumant, Oleis & pinguibus ſeſe anteà præmuniunt, ſtatimque poſt aſſumptionem, rurſus evomunt: ut vires Orvietani ſui probent magiſque commendabiles reddant. Viperas quoque cicuratas, & à veneno repurgatas, brachiis apponunt. Probè munito glutinoſis thoraci fervens Oleum & liquefactum Plumbum affundunt, ut inutile & putidum ſuum ad Ambuſta Unguentum magis diſtrahant. Ad ſuorum ad vulnera balſamorum commendationes, elevatam lateris cutem, apparatu magno, ſed reverâ tenui enſe, in plebis con-

conspectu pertundunt, multarumque ulnarum funem trajiciunt, postridiè denudato dorso (instar furciferi pegmati affixi) præcedenti die inflictum, sed jam quasi per suum balsamum curatum terribile cutis vulnus, magno fastu suis auditoribus & adstantibus monstrant. Lumbricorum Terrestrium, vel ex bulbis quibusdam filamentorum myriada, phiolis aquâ repletis populo exhibent: ut inutilia sua ad Vermes Remedia commendent. Ut dexterrimi dentium clavorumque evulsores videantur; craniis ex Ossuariis allatis, dentes effringunt, & ex equorum ungulis clavos, & verrucas efformant, quibus circundati insigniis, quasi monachi suis sphærulis præcatoriis, per plateas obambulant, quosque maximâ vociferatione ad se invitantes. Itinera, fora, nundinas, & fermè quosvis hominum cætus, quasi rugientes leones astutæque Vulpes, circumambulant corporei hi diaboli, ubique incautioribus insidiantes & nocentes. Versutè populum illudunt.

Abhinc duodecim annis, integram hic novimus pessimorum vagabundorum turbam Ægyptiorum nomine infamem, medicinæ peritiam præ se ferentem, ad quam undique accurrebat vesana plebecula. Hi ignorantiam confitentes (nam neque scribere, neque legere poterant) Pharmacopœis conscriptos & refertos omnigenis ineptissimis Pharmaciæ & Chirurgiæ receptis libellos offerebant, petentes, ut ex hoc remediorum cornucopio congruum aliquod huic illive morbo, vellent eligere medicamentum, quod, vel simile quid, prout Pharmacopæo placebat, præparatum ægris offerebant, de commodo vel damno parum solliciti; quoniam maximam præmii, quod convenerant, partem, jam dudum receperant.

Quædam Medicastra, in vicinis hujus urbis pagis

clara, cespitum geruli, ni fallor, uxor, quotidiè olim medicamenta emptum ad nostrum accedat Pharmacopolium, quæ tamen ipsa barda penitus ignorabat, & tam longè aberat, ut miserorum morbos melius exploratos haberet, ut nostrum quotidiè imploraret consilium. Interim rudis hæc Vetula Rusticis erat in deliciis, & ab hoc Arcadico pecore, pro magni Æsculapii filiâ habebatur.

Vidimus ante quatuor circiter annos cujusdam Sycophantæ Theatrum resupinis hominibus opertum, eorumque levitatem cum oculatioribus semper risimus. Hunc tota civitas, quasi Deodatum, admirabatur, omnisque Cæcorum, Luscorum, Lipporumque cætus visûs Restauratorem salutabat, sed proh dolor! præter vanam ostentationem, gesticulatâ superstitione, nominisque Dei Prophanatione mixtam, vix ullum oculorum morbo laborantibus levamen attulit, nullique amissum visum (ut in initio passim sparserat) instauravit. Tandem huic opificio valedixit, & in funambulum mutatus noster Ocularius, ultimis Amstelodamensibus nundinis spectantibus verè, ut in medicando fictè, miraculum fuit.

Martial. LVIII. Epigr. 73. Hoplomachus nunc es, fueras Ophthalmicus ante; Fecisti Medicus, quod facis Hiplomachus.

Sic in opprobrium Medicinæ & Medicorum audacissimi Agyrtæ fiunt deteriores licentiâ. Ex Germaniis & aliis Regionibus proscripti huc, quasi ad tutum asylum, allabuntur, & aliquandò in optimis Urbibus, quin etiam in celeberrimis Athenæis, indignantibus & aversantibus blateronum conspectum Musis, lares figunt, fictâ modestiâ & hypocrisi plebem & ruricolas decipientes, ingentem pecuniæ vim corradunt, seseque sanguine & sudore miserorum saginant.

Reverà, & non inani gloriolâ, de quodam asserunt, jam dudum, (uti dicunt) carrum ejus in siccum esse sub-

ſubductum, & annuos illius reditus, reditum Ducis Legionarii multò ſuperare, & non equidem miror; quia forſan hic Domi ſuis Opiatis, Euphorbiatis, Antimoniatis, Mercurialibus, Guttâgambis & Cataputiis plures cives & ruſticos è medio tollit, quam Dux legionarius armatus in præliis hoſtes. Quod exemplis luſtrare, quoniam multis præſtantiſſimis Medicis innoteſcit, ſupervacaneum foret: En tamen inter quædam mihi dudum in praxi obvia, novum, & quod jam nuperrimè, & dum hæc ſcribo, videl. XVIII. Kal. Febr. Anni 1699. in noſtrâ viciniâ accidit: cuidam panni tonſori remedium ſudorificum petenti, ille pulviſculum duabus vicibus aſſumendum, præbuit, qui à præſcriptâ doſi haud ſudans, alteram quoque devoravit: ſed deplorando ſanè eventu: expergiſcens enim manè cum eo decumbens uxor, maritum penes ſe in lecto diem ſuum obiiſſe terribili ſtupore, fletu & dolore comperit.

N. Machiavelli de Alexandro VI. Pont. Max. teſtimonium: Is nihil, quam mortalium Impoſtorem egit. ineptiſſimo huic homini optimè quadrat.

Quamvis de Chriſto olim Phariſæi: *Nunquid ex Principibus aliquis credidit in eum aut ex Phariſæis? Ioan.* VII. *verſ.* 49. Huic etiam Magnates, antiquitate & nobilitate familiæ & ſtemmatis illuſtriſſimi, credunt, ſuamque valetudinem confidunt. A quodam Dynaſtâ nuper accerſitus quadrigiſque vectus hic ὀρχυπνός rudiſque Agyrta, in medicinæ probrum tolerabat, ut à ſervitio Doctor ſalutaretur.

Eſt etiam mos Agyrtarum & ſtudium, ut pauperibus quibuſdam gratis dent ſua medicamenta, pompali quadam oſtentatione, & poſtquam per aliquot horas præ foribus expectarunt, certâ conditione: ut ſcilicet magnis præconiis omnibus commendent & ad cœlos putida & viliſſima illa medicamenta attollant. Vafra hâc eſcâ, & dulce canente fiſtulâ plumoſiores allecti à ver-

ſuto aucupe ſtrangulantur, caſtrantur vel ad minimum deplumantur.

Bellè veſtitum illum juvenem (qui in præſentiarum, ſingulis diebus Saturni, pulverem dentifricium (quaſi verò Venetum) atque Emplaſtrum ad Odontalgiam vendit) ultimis nundinis, ſuis adſtantibus ſic gloriantem audivi: *Omne ſcorbutum curat brevi meus Pulvis, omneſque dentium capitiſque dolores infallibiliter meum Emplaſtrum; utriuſque plures octingentis pyxidiculis hodiè vendidi.* Et revera in momento, me aſpiciente, quidem viginti diſtrahebat. Attamen nullius momenti nugæ ſunt: Pulvis enim præter vulgare nihil habet, nec poteſt. Cum Emplaſtro ego ipſe, vel per familiarem Chirurgum in decem vel duodecim Odontalgicos vel Cephalicos periculum feci: ſed ſemper irrito ſucceſſu. Interim multo lautius ſecuriuſque jam vivit Agyrtam agendo, quam fallacem aleonem, cujus gregis fidus ſocius; (ut mihi nuper narravit quidam honeſtus civis Amſtelodamenſis, qui hominem intus & in cute noſcebat) quondam fuit. Qui ante paucos annos Hagæ-Comitis degebat, omnium ad ſe accedentium juvencularum denudata crura inſpiciebat. Ut ſe præſente urinam redderent, quotquot ex ſequiori ſexu ipſum adibant, volebat alius. Urinæ non ſolummodò, ſed ſanguini, ſudori, alvinis fæcibus &c. imò laborantium pediculis, hodiè medelam adhibere volunt aliqui, ſed quam fauſto eventu, videant, qui decipi deſiderent.

Agyrtæ calumniantur probos & doctos Medicos.

Auræ popularis fumo inſoleſcentes, nondumque contenti, quod in Medicorum ſegetem eorum falx incidat, adhuc eos impunè inſectantur & calumniantur, quod ſæpe ab infamibus oberronibus cum indignatione audivi. Vidi quondam Rothomagi in Galliis Nebulo-

bulonem ſui gregis anteſignanum, qui voce ſtentoreâ, pollicitationibus & ſeſquipedalibus verbis nihil non poterat, evomens non ſani hominis voces ſpurciſſimas, quibus receptam Artem Medicam, eamque profitentes rejicere, pedibuſque conterere nitebatur: ſed quid fit? Medicorum muſſitationes, ægrorumque deceptorum quærelæ tandem ad Prætoris volant aures, qui hominem ad ſe accerſit, & præſente Senatu & quibuſdam Medicis, de ſuâ arte interrogatur; ſed, proh dolor! tam longè aberrat, ut bardus hic blatero humaniores litteras, vel minimam Medicinæ, tam Theoreticæ quam Practicæ, particulam calleret, ut vix prima Elementa Alphabethi, & tria ineptiſſima Pharmaca noſceret, quapropter indignatus Prætor, pigrum ſed validum ſcurram nequam in carcerem conjicit, brevi ad triremes relegandum. Si in aliis Regionibus tam ſeverè, (ut quidem jus & fas eſſet) de his latronibus cognoſceretur; tantum meo judicio, humano generi conciliaretur benefactum, quantum mundo attulerunt illi, qui in legitimum furibus ſtipendium conſtituerunt patibulum.

Non valde diſſimile ex eodem grege pecus in meâ praxi offendi: curaturus hic Aſthmaticam, ubi de amplâ curationis mercede tranſactum eſſet, ejuſque dimidium, (quod ei moris eſt) ante abſtuliſſet, virulentiſſimos pulviſculos ex guttâ gambâ & euphorbio ægræ præbuit, quorum ope cum ferè vitam & viſcera per anum expuliſſet, mox eam refecit inſigni cardiaco, ſcilicet ſtercore caballi, ex tenui cereviſiâ ad aliquot pintas cocto, addiderat in ferientis tuſſis levamen vetuſtiſſimum ſambuci acetum. Ad hanc infirmam à conſanguineis vocatus ego, Agyrtam de morbo & reme-

Valdè conſpicuum cujuſdam ignorantiæ exemplum.

diis interrogo, tandemque ab arroganter primò renitente prædicta intelligo, p rrò ut suam de morbo sententiam diceret, urgebam; noluit primum, tandem consensit & quidem his verbis: *Ego dico hanc fœminam passione hysterica laborare, uterumque in thorace illam spirandi difficultatem inducere.* Interrumpo; ubinam naturalis uteri situs? In pectore: Pulmonum? In abdomine: respondebat. Risi bipedis ruditatem hominumque leuitates, qui tales accersunt asinos. Interim idem ille à plebeculâ magnus ex matulâ Har olus æstimabatur.

Infinita plura hujus farinæ possem proferre, sed tædet in relatione harum nequitiarum & scelerum diutius tempus terere.

Quantum jam ad curatos per Agyrtas attinet, testor me inter illos, qui unquam illorum auxilium implorarunt, neminem vidisse, seu ab aliis audivisse, verè curatum; restitutus enim vel casu convaluit, vel operationi naturæ, nondum enervatæ, curatio adscribi debuit, nunquam verò validissimis & virulentis Agyrtarum remediis absque consilio & judicio, cum summo vitæ periculo, exhibitis.

Fortè fortunâ ex mille unum ægrotantem sanabunt.

Res igitur commiseratione dignissima est, quod à Magistratibus in nefarios hujusmodi grassatores, ob clades, quas ex suis carnificinis passim edunt, animadversio nulla instituatur. Quin etiam stupendum, nonnullos existere viros, alioquin honestos, non levi optimarum rerum eruditione præstantes, versatissimosque in publicarum rerum usu, qui, tum erga se, tum erga communem utilitatem, minus æquos se præbent circa rem Medicam, quod probis exercitatissimisque Medicis nonnullos Sufflones, Chymicastros, Empiricos & Theatricos Agyrtas, illiteratos homines, Thessalios

Asi-

Aſinos ſubleſtæ fidei, rationis Methodique expertes, anteponant; qui, quo in pollicendo ſunt procaciores, eo majorem virtutis opinionem apud credulos adipiſcuntur, facilèque reperias, qui ne teruncium quidem planis hujuſmodi & ſycophantis commodare annuat, ſuummet verò caput vitamque, omni fortunâ auroque nobiliorem, poſtmodum illis committat.

Appendicis inſtar huic Catalogo ſubjungi poſſent Chirurgi Operatores, Lithotomi, Herniarum Secatores, luxatorumque artuum Locatores legitimi, Vulnerarii, Barbitonſores, Balneatores, Medicinifices, Seplaſiarii, Pigmentarii, Carnifices, Obſtetrices, Scarificanteſque Vetulæ, cæterique omnes, qui ſe Paralytica membra, vel luem Veneream, vel Epilepſiam, (ſic infallibile ſe contra Epilepſiam remedium poſſidere, jactat quidam Piſtor hujus urbis, quo cum multos per ſe curatos, nuper cuidam meo cognato ex Gelriâ advenæ, gloriabatur. Ita alii ad alia) vel Podagram, brevi curaturos promittunt & gloriantur: tandem qui fœdatas ſcorbuto Gingivas purgant, Denteſque dealbant. Simplicium, Chymicalium, Herbarum, quorundamque Medicamentorum domi foriſque Venditores.

Hi omnes agyrtæ quidem nomen odio habent, ſed emolumentum deperiunt.

Sed quandoquidem horum aliqui admodum ſint neceſſarii, cæteraque vulpecularum turba ad Medicinæ vineam vaſtandam impar ſit, hæc aliquomodò tolerari poſſet, ſi unuſquiſque tantum intrà ſui muneris terminum maneret, & profanas manus non tam facilè, (ut vulgo fit) in univerſæ Medicinæ ſacra injiceret.

Sed parva hic mihi facienda eſt digreſſio: ſcilicet, dum prelum hiſce chartulis ſudat, ecce novum prodit in Orbis Scenam miraculum! Lithotomus videlicet ille expertiſſimus & beneficus Frater, *Jacobus Beaulieux*,

Ere-

Eremita & peregrinus, Burgundus, qui Calculos & Hernias, feliciſſimo cum ſucceſſu, paſſim GRATIS ſecat, & de quo aſſeritur, ipſum hanc dexteritatem, Dei nutu, ſeu immediatè revelatione quâdam, abſque ullâ præviâ diſciplinâ, acquiſiviſſe: quamvis à quibuſdam inferatur, illum dudum, in Noſocomio Charitatis Pariſiis, Lithotomiæ tyrocinium ſuſcepiſſe: ita ut nuperrimo bello, etiam in exercitu Gallico, Chirurgum caſtrenſem egerit. Sed hoc nil ad rhombum facit, atque nunquam interituræ gloriæ hujus boni viri, ullatenus nocere poteſt; ſolummodò optandum foret, quod ſimiles multi & officioſi, & liberales Samaritani, ſuccurrendis Mortalium aliis atque aliis quoque ærumnis & miſeriis, invenirentur, atque, ut verè tales eſſe poſſent, ſi, ſicut Ille, cilicio tecti, pane & aquâ contenti, abſtemii & cælibes, in omnium rerum affluentiâ egêre & eſurire nollent, ſaltem modico ſalariolo, & victu amictuque contenti, miſeris opem ferrent; nec quod ſuo luxu & prodigalitate decoxiſſent, ex afflictorum facultatibus peterent ſupplendum. Sed è diverticulo in viam.

De ſolitâ Pharmacop. Chirurg. & obſtetricum in Medicos immorigeratione.

Priuſquam tamen hancce telam ſuccindam, de his, & affinibus adhuc paucula, inſtar oræ vel fimbriæ, præcedentibus attexam, & licet hæc propriè non ſint res agyrtarum, nec hi abſolutam cum eorum negotiis habeant Analogiam, tamen, quia mihi modò quadantenus de iis erat ſermo, nec libeat de hiſce novum cudere Caput, & intereà inter Mundi jamjam collapſuri morbos, etiam, hoc ulcus S. Medicinam defœdet, neceſſe eſt, ut quoque hujus hic fiat mentio; Saltem eam ob cauſam, ut Tyrones tempeſtivè arma parent, id eſt optimæ Doctrinæ Medicæ ea fundamenta jaciant, quibus in poſterum turbinibus Naſutularum

ſcio-

sciolorumque Gurdorum, neutiquam circumagi possint, sèd contrà hos perpetuos Contradictores & Suggillatrices maneant immobiles. Solitam igitur, & ferè popularem Chirurgorum, Pharmacopœorum & Obstetricum in Medicos immorigerationem, vilipensionem & repugnantiam, quasi tabulâ depictâ, demonstrabo. Hæc equidem subindè adeò sunt intolerabilia, ut jure meritò inter præcipua praxeos medicæ tædia, recenseri mereantur.

Femellæ enim vulgò Obstetricum oracula de rebus consulunt, eorumque imperata promptè faciunt, nec solum puerperis Medicinam faciunt pergræcantes ac obesulæ hæ Medicastræ, sed & ad cæteros sexûs morbos: videlicet ad suppressa, nimis pauca vel nimia catamenia & lochia, sterilitatem, passionem hystericam &c. remedia præbent, imò turgentibus ex furtivâ Venerè Asciticis, tutius quam Medici aquas pellere, pristinumque honorem sanitatemque, restituere norunt. Quibus omnibus profectò multa & plus Medicis lucrantur, ita ut his superbientes, interdum satis arroganter Medicis obgannire audeant hæ Audaculæ & Bibaculæ: quæ sanè tœdiosissima res est, nec semel à probis & generosis, sed minimè istis assentatoribus Medicis, repudiatæ praxeos Medicæ causa fuit.

Nec minus faciunt Pharmacopæi, Chirurgi, ipsique Barbitonsores, (quod hominum genus hodiè in penetralia Sacræ Medicinæ, illotis manibus, irrepsit, nec ventoso Chirurgiæ seu Pharmaciæ titulo contentum, morbos internos curare & pharmaca propinare, pluribus Thrasonicè audet) ac si tot flagella Medicorum forent, ex quorum nominis famæque ruinâ lucrum captare student, vulgò se suaque extollunt, Populo ablandiuntur, & Medicos dente Theonino rodunt. In

ſpecie, ob tot, quas in vitâ præparavit Medicorum formulas (vulgo Receptas) ſe praxis Medicæ peritiſſimum putat Myropola. Majora jactat Arrogantulus Chirurgus, ſuiſque Diſcipulis ac famulis (ut tralatitium eſt & me quondam à quibuſdam audiviſſe memini) commendat, ne unquam, nec in minimis tranſeant in Medici à ſuâ diſſentientem ſententiam, ſed ipſis potius ſemper obloquantur. Ipſe miſellus Barbiraſor infra ſuam dignitatem, ſe agere putaret, ſi Medicum, ut decet, veneraretur. Sed de his ſatis. Videamus jam quibus privilegiis, jure & auctoritatibus iſti Medicorum vexatores agant, & an bonâ vel malâ fide? Unicum, ſummum & præcipuum eorum Regale, eſt Livor cum pediſſequo Vituperio, ex quibus fontibus ſcaturiunt Obtrectationes & Calumniæ in Medicorum imperitiam ac ignorantiam, quas jugiter crepare, ipſis in omnibus eſt univerſale Symbolum: è Converſo, ſe ipſos extollunt, ſuamque propriam experientiam aſſiduè jactant, & artis, quam ſuam vocant, experimento nituntur, opinantes, Medicos, propter tantam in Medicinâ rerum copiam, vix de omnibus aliquid, & conſequenter de toto nihil, ſibi comparaſſe. Aſt illi, tanquam ab ſingulorum membrorum apud antiquos Medicis ſuperſtites, in rem unam, videlicet Chirurgiam, Obſtetricium &c. utpote Medicinæ partibus, ſtrenuè incumbentes, unuſquiſque in munere ſuo Medicos longè præcellat. Sed miſerè hallucinantur noſtri Garruli & Loquaculæ, ſuiſque plumbeis argumentis in proprium peccant caput: Et quidem, quod ad primum, nempe Medicorum in praxi ignorantiam attinet, fateor ſubindè quorundam imperitorum juniorumque cruda ſtudia in ægros, imò in ipſa noſocomia propelli, ſubindè à quibuſdam, ut ſapientiam oſtendant, Sophiſticas

sticas argutias inaniaque verba apud ægrotantes, præsentibus Chirurgis Obstetricibusque, proferri; tandem etiam à Chirurgis eorum eruditionem, qui vix hiscere sine vapulante Prisciano tria verba Latini Sermonis, nec crocum ex calendulâ norunt, suboleri; etiamsi hæc impedire nequeant, quo minus cuivis docto & experto Medico, (bardos vel nasutulos non curo) debitus honos & reverentia à quocunque grato & prudenti deferatur. Sed graviter molestèque fero, quod etiam illi omnibus numeris absoluti, spartamque, quam nacti sunt, ornantes, & propterea omni honore dignissimi Medici, à tam rudibus & indoctis, non satis digni, ut istis calceorum corrigia solvant, adhuc ignorantiæ insimulentur, quin etiam, quod hoc pecus (bonos & probos hic ac ubique excipio) mendaci ore & durâ ferreâque fronte, interdum apud ægrotos, plus optimo quovis Medico polleat, eos quoque culpando: in Pulsu explorando, Vomitorio, Purgante, Hypnotico vel Sudorifico præscribendo, (quod & illi possunt) totum hodiernum studium Medicum, versari. Accedit, quod, uti tempore pacis arma, sic tam longis morborum induciis, Medici aspernentur; interim illi illæque, ne salem lingant, in radendis semper barbis, ac subveniendis quotidiè parturientibus, quasi manuum mercede, facilius quam tenuioris fortunæ Medici misellique Myropolæ, inopiam tolerare queant. Hinc Arrogantuli sese Chirones ac Podalyrios æstimant, ægrotantes invisunt, iisque visitationes, ad instar Medicorum, computant, licet cum quodam ejusdem Gregis mihi quondam noto, circa plurima (propter crassam suam ignorantiam) ipsis ignotissima, Deum, ut bonam prensationem faciant, precantur, nec vix de morbis, eorumque differentiis per somnium cogitarunt, sed ex uno vel altero vernaculè

ſcripto libello, forſan unum alterumve remedium de-depromſerunt. Atque ſic quoque, me ſecundum, de decantatiſſima illorum experientiâ, argumentum, explosiſſe existimo. Tandem in genere notandum eſt, majus impendere ægrotantibus periculum, ab omnibus Medicinam profitentibus, qui eâ leviter ſunt imbuti, quam ab iis, qui nihil omninò norunt.

Nam ut ab unâ parte maximi in Medicinâ momenti eſt, non tantum ſimilia à diſſimilibus ſecernere, atque morborum genium & cauſas &c. exploratas penituſque cognitas habere; Sed & perſpectâ morbi ideâ & vero ſchemate, remedia cuique affectui debita, prudenter aſſignare, ut quibus incognitis, aut non perpenſis nec rectè cognoſci morbus, nec curari ullo pacto poteſt; Sic ab alterâ, obiter tantum obſervantibus, luce meridianâ clarius liquet, quantum diſtent hæc *æra Lupinis*, quantamque jacturam Humanum Genus ab his (ſolum & nonnunquam ſatis læviuſculè in ſuo opificio tinctis, cæterarumque omnium Medicinæ partium, imò terminorum, verborumque ignaris, & tamen neglectis morborum nominibus, cauſis, ſignis, differentiis & veris remediis temerè ad eorum curationem ruentibus) Pharmacopæis, Chirurgiis & Obſtetricibus pèr tot ſæcula fuerit paſſum, atque adhuc in præſens patiatur: ita ut, procul omni dubio, ab quocunque rei Medicæ prorſus ignaro, & conſequenter nihil faciente, ægris minus, quam ab illis Bardis, & nihilominus Arrogantulis Medicaſtris impendeat periculi. Hi ſunt laborum fructus eorum Heroum, qui Tractatus Medicos linguâ vulgari, quaſi ad nunerum & pondus, conſcribunt, atque ſic Medicinam à vulgò vituperandam reddunt. O! quam bonum eſſet Medicinæ rebus, ſi duodenarii illi Scriptores utilioribus tempus fal-

fallerent, & nostri Pharmacopæi, Chirurgi & Obstetrices Medicis magis essent morigeri, nec tam temerè & audacter Medicis rebus sese immiscerent, sed debitum illis honorem deferendo, non detrectando, suâ sorte & munere contenti viverent.

CAPUT. IX.

De vulgò dictis Medicorum opprobriis, & de iis, qui morborum hoc nomine Infamium, Curationes indiscriminatim promittunt.

Cum gloriosos hos de Medicis Triumphatores attentè intueor, nil nisi Portenta, Monstra ac Miracula sese mihi dant spectanda. Crudeles hic in humanum genus grassantes dominantesque Tyranni; illic tot Hercules horum Tyrannorum Domitores. Video Saturninos ac Malignos. Video instructam aciem eorum, qui Herculeâ clavâ ac labore hos rursum profligare satagunt. Carnivora pestis, horrida Tabes, torva Mania, fœdissima Elephantasis, prosternens Epilepsia, Calculus carnifex cum suo Equuleo Podagrico. Turpis ac infamis venerea Lues, murmurans delirans que Melancholia, Suffocans Hydrops, Malorum Συνδρομή Scorbutus, Quartana quatriduo assultu metuenda, cæterique Hæreditarii & Mortalium Archi-Hostes ad arma provocant & cladem inferre conantur. Eos atrocibus minis vanisque gloriationibus abigere machinantur Thrasones; ipsos olim crus confractum Æsculapio, brachium Apollini obligasse, plenis buccis vociferantes. Blateronum gloriationes.

Vid. Epitaphium Paracelsi: *Conditur hic P. T. Paracelsus, qui dira illa vulnera, Lepram, Podagram, Hydropisin, aliaque insanabilia corporis contagia mirifica arte sustulit &c.* Sed vana sine viribus ira & Ματλὼ ὁ Σίσυφος πέτρον ἀλίει: nec curant inanes hos strepitus tam jurati Protoplastorum Hostes, vulnerantes trucidantesque, quos volunt, ita ut reluctantibus quamvis Blateronum pollicitationibus ac Scriptis, jam nullus, magis ac ante mille annos, ab his trucibus Tortoribus servetur, tritumque displodatur: *Tollere nodosam nescit Medicina Podagram.* Hisce qui fidem derogat, mecum propius accedat, accuratè tam inpugnatos, quam eorum propugnatores ac defensores perlustret observetque sedulò, quid arma armigerosque despicienti monstrorum agmini, quidque arrogantibus eorum (si Dis placet) domitoribus eveniat. Quam parum ah! omni tempore ad Νόσος Θεοῦ seu morbum Dei, truculentissimam Pestem, Arma Medica potuerint, non quam nimis, ex historiis patet. Tunc enim ultrò citròque querimonias, de V. S^um. Clysterum, & Laxantium vanitate; Dulcoratorum majoribus è novâ quasi fermentatione turbis, Acidorum nullitate; Purgantium, Vomitivorumque damnis; Stypticorum frustrationibus aut subsequis, si fluxum fortè sufflaminent, anxietabus; Diaphoreticorum, Diureticorum, Cardiacorum &c. insufficientiâ; Topicorum ineptiis &c. jactantes, passim audiuntur. Ex mille Phthysicis, Tabidis, Hecticis vel Atrophiâ laborantibus, vix unus, & quidem maximo molimine, integroque prætereà accedente Armamentario Medico, servatur. Maniaci & furiosi magis severâ disciplina, vi, vinculis & in publicis privatisque phylacis, præsertim Delphensibus, quam ullis

Morbi Obstinati manent ac antea incurabiles.

me-

medicamentis coërcentur. Veræ squamis asperæ, terribilis Arabum, Judæorum, Græcorum, hodiernorumque Chinensium Lepræ seu Elephantiasis sanatio, jam ac olim, absque miraculis desperata est; & Οὐ πάντα τὰ ἕλκη ἀκεστά.

De vagabundis tamen, Crotalo alboque fascio Eleëmosynas petentibus, incurabilibus quasi, sed potius pigerrimis Erronibus, mihi longè alia mens est: Harlemensiumque Magistrorum in hisce ritus ac facilitatem, in ejusmodi nebulonibus ad mendicitatis gradum, cum prædictis insigniis, ac solemni Bullâ, promovendis, salvo Doctiorum judicio, nequaquam probare possum: Nec cur illi hoc faciant, capio; nisi quod forsan squammosum & furfuraceum ex tineis & porriginibus illorum caput coöperientem pileum, quasi ex naturâ Doctoralem judicent. Hæreditariam vel inveteratam Epilepsiam incurabilem esse, & cum ægrotante utplurimum vivere & commori, apprimè norunt, qui in imaginariâ ejus curatione oleum ac operam perdiderunt. Renum & vesicæ vitia difficulter medicam manum admittunt, quod & Hippocratis oraculo sancitum. Ut plurimnm lethalis, semper medicamentis incurabilis est, absolutus ac confirmatus vesicæ calculus. Ejusdem farinæ est vulgò luxuriæ ac otii soboles Arthritis, saltem si hæreditaria, inveterata nimis, Tophacea & nodosa sit. De qua ità Clar. Sydenham: *Et fidenter asserro, multâ & longâ observatione suffultus, maximam partem eorum, qui Podagrâ periisse putantur, non tam ipso morbo, quam subleстâ atque indebitâ medicatione fuisse peremptos.* Solâ abstinentiâ tamen aliquatenus curatos, intemperantiâ recidivam passos, novi.

De lichenosis, se falsè Leprosos profitentibus.

Hipp. Sect. VI. Aphor. 6.

Licet peremptoriæ contra Luem Veneream ſententiæ ac decreta, ut & perpetui belli denuntiationes, imò ejus exequiarum ſchedulæ paſſim ad compita, fora, templa &c. affigantur, iiſque quotidiè excuſa & vulgata nova nuntia (*novellæ*) vulg. *couranten* prægraventur: non deſinit tamen propterea vectigalium Veneris conductor, à ſcortis ſcortatoribuſque more ſolito antiqua & ſueta exigere Regalia cenſuſque. Hypochondriacos novi, qui à S. A. præparatis, ad amuſſim morbo adaptatis & aſſumptis Medicamentorum plauſtris, adhuc præſcribentibus opinionum Heroïbus, ne hilum quidem profecerunt: ſed ſemper incurabiles manſerunt: nec curatu faciliores mihi videntur illi Melancholici, qui nodos in levi ſcirpo quæritantes, culpam imaginantur, ubi nulla eſt, & Divinæ miſericordiæ diffidentes, ſe orco deſtinatos, lamentatione ſedulâ nocte diuque deplorant. Quis neſcit, quantæ difficultates, contrarias ſibi invicem indicationes curativas requirentem Hydropem, medicaturo, occurrant? Scorbutus eſt inter morbos longos, refractarios & curatu perdifficiles, & ſub omnium morborum larvâ corpora noſtra aggredi ſolet, quorum Cataſtrophe ut plurimum patientibus funeſta, & Medentibus probroſa eſt.

Morbi, qui à parentibus in natos hæreditario quodam jure propagantur, difficulter admodum, imò vix unquam admittunt Medicam manum.

Unica Quartanariorum olim deſperata ſatis res & ſpes, poſt corticum. Peruv. K. Kinæ inventum, aliquo modo aucta eſt: Sed morborum Hæreditariorum, perindè ac quondam, manet exſpes. Accedit, quod multi morbi ſint incurabiles, quià laborantes extra paroxyſmum ſani, non tot Medicamentis uti volunt, præſertim, ſi non ſtatim juvent; itaque non per ſe, ſed per accidens ſunt incurabiles. Enimverò ſi curatio ex voto non ſuccedat, Medico tribuunt non ſubjecto & conditioni morbi, & tunc Medico valedicunt, & ali-

aliquandò agyrtas consulunt. Ad hos igitur omnia promittentes, sed pauca præstantes Æsculapios, jam redit ordo, qui, quod difficillimum omnibus Medicis hactenus visum fuerat, facillimum prædicant, & methodum quandam programmatis suis se habere profitentur, qua, intrà paucas hebdomadas vel dies, quosvis inveteratos & pertinacissimos morbos, radicitus extirpare se posse profitentur. Sed, an eventus respondeat promissis, judicent, quorum maximè interest, ipsi ægrotantes, & tametsi se in genere ac promiscuè omnes morbos curare glorientur: in specie tamen in suis schedis commendatitiis omnium maximè de Lue Venereâ, Epilepsiâ, Melancholiâ, Nephritide, Hydrope, Arthritide, Scorbuto &c. blaterant.

Temerario ausu facilem gravissimorum morborum curationem promittunt.

Quam facilem Epilepsiæ curationem Pistor ille, &, quos novi, alii, polliceantur, jam in præcedentibus dixi: effectus tamen famæ non correspondet. Quam temerè illi faciant, qui Melancholicos dulci canente fistulâ allicientibus Invitatoribus tam facilè sese committunt; ipsi videant. Infinita ad Nephritim & calculum remedia suâ frequentiâ quævis alia, ex novis & quotidianis nuntiis, propulsant, & ea legentibus ab importunis Commendatoribus, quasi invitè, obtruduntur: Sed an idcircò ejus valoris & pretii sint ut illi prædicant, nec plura polliceantur quam præstare possint, ea expertis Robertis dijudicandum lubens trado; unà tamen omnes præmonendo, ut sollicitè ab acribus Medicamentis, (ut eorum maxima pars est) partes, per quas transeunt, violenter afficientibus, & exulcerantibus, vel ab iis, ex quibus ipse calculus concrescit & in quæ denuò resolvitur, ut ab acidis, terrestribus, tartareis, salibus volatilibus, salino-acidis, austeris, glutinosis, sale urinæ vel ipsius calculi, (Helmont. Duelech) utpotè

ex quibus, quotquot Lithontripticorum nomine superbiunt, ferè componuntur, sibi caveant: Cætera autem insipida & inefficacia, & neque bonum neque malum generantia, aggravantia vel levantia Remedia, non quidem metuenda, sed etiam flocci pendenda sunt. Nocet, meo judicio, calculosis, omnis potus fermentabilis: nec præstantius ad calculum ipsique diathesi ad eum novi remedium, quam quivis dilutissimus, vel aquæ puræ, tam calidæ quam frigidæ, potus. Arthritidem vulgò podagram inter alios, ut alter Apelles, tam vivis & veris suis coloribus depinxit, immedicabilitatis (sit verbo venia) stigmate notavit, ejus crudeli carnificinâ à multis annis ipse emaceratus, atque ad interitum compulsus, Clarissimus Sydenhammius, ut concipere nequeam, quo pacto Circulatores perquam temerario ausu ejus curationem, etiam in Senibus, tam facilè suscipere, ac Ægrotantibus promittere audeant; nisi quod mox, post initum de curatione pactum, tantum anticipatæ & paratæ pecuniæ consequi sperent, quantum Doctus atque artis peritissimus Medicus, cum post mille labores edacesque animi curas ac sollicitudines, licet fausto insuper Apolline, ad Medicinæ finem, sanitatem, ægrotantem perduxerit, nequaquam habiturus esset. Jure meritò igitur hos Sycophantas sequentibus indignatur prædictus Clar. Autor. *En vobis omnia, quæ hactenus mihi comperta sunt in hujus morbi, scil. Podagræ, curatione. Si quis objiciat multa esse remedia specifica ad Podagram; Ego me ea nescire lubens fateor & vereor ne promissores isti perindè sint ignari ac sum Ego. Et sanè dolendum est, Medicinam (Artem nobilissimam) hujusmodi nugis, quæ, sive ab inscitiâ, sive à pravitate Scriptorum, credulis objiciuntur, usque adeò de-*

Sydenh. de podagr. pag. m. 62.

deturpari; cum in omni ferè morborum genere hujusmodi aliquid à Nugivendulis tanquam Θεῶν Χεῖρες *decantetur pleno ore &c.* Verba cedro digna! Quibus ego meam ad Bibaculos maleferiatoſque nepotes, ſi dictis ſolum audientes habeam, attexo exhortatiunculam: Videlicet, ne his vanis nimium confiſi pollicitationibus, liberius bibendo quotidiè vini ſtent pactis, donec minaci ferulæ Bacchi ſit porrigenda manus: ſemper enim ebrietatem pœna comes ſequitur; Nam ſanè plus aloës, quam mellis habet, cum graviſſima mala: ut narium Hæmorrhagiam, Tremores, Anorexiam, Cachexiam, Icterum, Podagram, Hydropem, quaſi tot luctuoſi, accelerati ac jam inſtantis lethi prodromos procreet: Nam Οἶνος ἄτρεπτος τοιαύτη ἡλικάτη.

Sed è diverticulo in viam; profectò recentem Podagram ex artis lege curaturo, ipſo Æſculapio, & Herculeo opus eſt labore & induſtriâ: Ad inveteratam & quaſi in habitum degeneratam verò medicandam, operam luderet, nec hilum proficeret ipſe herbarum potens Apollo. Inter morborum Iliada corpora noſtra immenſà phalangè undique obvallantia, non minimus eſt, à trino ſatellitio, Dyſpnæâ, Urinæ paucitate & Siti intenſâ ſtipatâ, generalis Hydrops, Anaſarca vel Aſſcites, (particularis non tam formidabilis) ſive ſitum theatri, in quo ſæviſſimas exhibet tragœdias, ſpectes, ſeu propter contra indicantia: Aquarum videlicet Evacuationem, Sanguiniſque Inſtaurationem, vel, auditis libentius? (mihi enim perindè, cum res in idem redundet) læſorum lymphaticorum conſolidationem: evertet enim evacuans Catharticum, quicquid Corroborans, conſolidanſque ſubſtruxerit. Hydropicos tamen, licet ſemicoctos, & jamjam, quaſi cataclyſmo, ſubmergendos, in priſtinam ſanitatem levi negotio reſtituere, aſ-

ſeverant Impoſtores, quibus tamdiu credunt ægroti, donec iis ſuas facultates, & Libitinæ vitam ſacrificaverint. Proteum Scorbutum tam univerſalem profitentur Bardi, ut omnibus morbis hunc ſemper adeſſe putent, & cum morbum aliquem ignorent, immeritò Scorbutum, (quem etiam tantum nomine tenus norunt) accuſant. Tandem poſtrema acies morbi Gallici Exterminatorum, quaſi ingens agmen, jam ſuâ decreta executurum, appropinquat. Præcedunt Anteſignani, ſequitur promiſcua multitudo, efflagitant levamen oppreſſi, nummoſque in anteceſſum, ut largius Liberatores ſuos remunerare poſſint, corradunt: Sed eheu! diris & fœdis Symptomatibus infames hoſtes collato pede præliantur, nec ad latum unguem cedere, nec clamitanti Imperatori: Dedite vos mihi! obtemperare, neque ullas inducias, niſi antiquis conditionibus, concedere volunt.

Luis Venereæ faciliorem & tutiſſimam curationem, alius præ alio gloriatur.

Sed ad rem. Quis tantus in Medicinâ hoſpes, quem lateat, quot præter vagabundorum Iliada, Venereæ Luis Curatores, ſub Veteris, Novi, Aurei, Argentei, Nigri, Albi, &c. Angeli, titulis ac Inſigniis, hic indè lares fixerint & ſimul ignoret, quomodò Nuperrimus quis, quaſi alter (vetus Stemma, Nobilitatem, Aureum Pharmacopolium, periſtromatibus ornata Cubicula & Lecticas jactans, & Epigraphis ſuis commendatoriis: *cum ſummæ Hollandiæ Curiæ cognitione*, præfigens;) ſui Balnei, inſtar Panaceæ, Commendator, etiam per ſuos de Morbo Gallico linguâ vulgari quidem conſcriptos, ſed ſpecioſis Epithetis ornatos Libellos, quotidianos rerum novarum Catalogos, *(novellas,)* (ut ferè omnes hodiè ſui immodici faciant Commendatores) auxerit; Libellorum fronti nomen familiæ quondam literis claræ, jam verò fœdiſſimo

Vulgò de Couranten.

mor-

morbo curando inclarescere studentis, affigendo. Porrò de suis peregrinationibus, de Italiâ, Româ, Reginâ Christina, ejusque Laboratorio, Borri &c. multa fabulatur, acsi Agyrtæ Itali faciliori & fæliciori, quam Nostrates, methodo, diram hanc Luem curare possent. Præterea, Alcmariensem Cornelium secutus, Novatorem agit, & quosvis à se dissentientes adoritur, hic Philos. & Med. Dr, admodum catè & cautè tamen, sua (si Dis placet) secreta medicamenta fictorum à se nominum fasciis involvens & condens; casus ferè nimis particulares, ac familias infamare valentes; si alias vera sint, addens, ægrotantes dulci canente fistulâ ad ædes suas, ut verissimi Samaritani, invitat; perindè ac si nemo alius, sed ille solus, huic Neapolitanæ Scabiei rectè mederi posset, & cætera omnia ad hunc morbum remedia, huc usque incassum fuissent applicata. Quanta arrogantia! Sed Οὐχ ἅπαν τὸ ἀμαρύζσον Χρυσός ἐστι. Præterquam quod hujus Autoris tam magnificè de se sentientis opinio, à rerum Magistrâ Experientiâ quotidiè refellatur: Quoniam viâ tritâ & hactenus suetâ, miserorum myriada curata fuerint, & adhuc quotidiè ab aliis & me feliciter curentur: Quibus superaddo, ex mille aliis tantum hoc unum, sed instar omnium, præstantissimi Expertissimique Laz. Riverii Testimonium: *Lues Venerea à me curata est in pluribus Decocto ex sudorificis & purgantibus per viginti dies usurpato. Si hæc non sufficerent, ad frictiones ex Unguento Mercuriali veniebam. Multi in mediâ hyeme hoc solo Decocto curati sunt, quibus diæta sudorifica administrari non poterat propter aëris inclementiam.* Videtis Lectores hunc indubitatæ fidei & auctoritatis Medicum, suo tempore etiam plurimos, & quidem despicatissimo ab nostro Novatore Remedio, scil. per Mercurium

De quodam immodico sui ad curandum morbum Gallicum Commendatore.

River. Observat. Med. Obs. 78.

curium ptyalismo, curasse, nec igitur illum solum, unicam & veram habere, rectè hanc labem curandi, methodum: Sed potius hunc figulo invidentem figulum, propter dulce lucrum, & ut ædes suas, locumque, in quo degat, omnibus redderet commendabilem, tam magnificè de se & contemptim de aliis loqui.

Colophonis loco addam, quod etsi gravissimi illi morbi, qui vulgò Medicorum Opprobria, & ob magnitudinem Sacri audiunt, aliquandò ægrorum patientiâ, obedientiâ, in victu sedulâ diligentiâ, Medicorum peritiâ & selectis Medicamentis (inter quæ Decocta vel Apozemata ex lignis radicibusque lignescentibus &c. Clariss. quondam CRAANEN magnifacio) præter opinionem tollantur: ab optimis quibusvis remediis destitutis ægrumque sibi relinquentibus, nec ullam victus rationem observantibus tamen Agyrtis, nequaquam curabuntur: nec ullum ante hac rectè curatum, vel unquam curatum iri, facilè crediderim, sed constanter nego. Hinc patet quam temerè faciant, qui plura, quam præstare possint, præsertim ejusmodi morborum facilem curationem polliceantur, & quam dignas suæ levitatis luant pœnas, qui ejusmodi Sycophantis & fumivendulis fidem habeant & sese concredant.

Decocta in spirituoso aliquo menstruo ex lignis radicibusque lignescentibus laudo.

Tandem præter vulgares morborum Catalogos, ingentemque Remediorum Oceanum, tot tantique adhuc Morbi novi, vel saltem incogniti, complicati, mixti &c. cum suis causis, & absoluta, Radicalis & usque quaque perfecta Therapeia, tam ad acutos quam Chronicos & Hæreditarios morbos, & qua hic etiam à Diathesi ad singularem hunc, alius ad alium morbum liberaretur, in Democriti puteo latent, atque in naturæ

Verus artis Medicæ defectus.

sinu

sinu reconduntur, quandò, aut à quibus in lucem extrahendi nescii: ita ut quisque doctus & probus Medicus, in hisce candidè suam ignorantiam profiteri nunquam detrectabit, licet multi Sycophantæ arbitrentur, artem Medicam in hoc præsertim deficere, quod remediis magnis atque efficacibus indigeat: nequaquam, cum attendenti satis liqueat, præcipuum Medicinæ faciendæ defectum non in eo verti, quod nesciamus quo pacto huic illive intentioni satisfacere debeamus, sed quod non satis sciamus, quænam sit illa intentio, cui satisfaciendum sit, cum rudissimus quisque facilè, quonam medicamento vomitus, purgatio, sudores &c. provocari poterint, novit: Sed probè exercitatus sit oportet, qui dicere queat, ubi hoc illudve remedium in usum revocari debeat: in hoc uno enim totius rei cardo vertitur, atque ex amussim idem illud est, circa quod Pompatici nostri Conjectores plurimum hallucinantur.

CAPUT. X.

Auxiliorum Materia, dispunctis vanis & inutilibus, evolvitur cum exhortatione ad Medicinæ Tyrones, ut præ omnibus utrique Pharmaciæ, tam Galenicæ quam Chymicæ strenuè incumbant ad acquirendam sua propria Medicamenta posteà componendi, suisque ægris propinandi, dexteritatem.

Ars medicamentaria est primæva Medicinæ curatricis filia, hæc cornucopio Vegetabilium, Animalium Mineraliumque instructa ubivis prodit, & peritè prudenterque adhibita (quæ res ingentem requirit doctrinam, circumspectionem, apparatum industrium, & in usu experientiam non vulgarem) artis filios Deo assimilat in subveniendis Mortalium ærumnis: Quapropter potentissimi olim Reges & Principes medicamentosas plantas suis propriis nominibus honestarunt, sic Mercurialis & Moly à Mercurio; Panaces ab Hercule; Nimphæa à Nimphis, Centauria à Chirone Centauro; Achillæa ab Achille, sua nomina mutuata sunt. Illyriæ Rex Gentius, Gentianam baptizavit. Lysimachia ab ejusdem appellationis Rege Macedoniæ suum nomen obtinuit. Attali Regis Pergami; Jubæ Regis Mauritaniæ, Artemisiæ Reginæ Cariæ; Mithridatis Regis Ponti, lustrica cognatione, quædam superbiunt. Verum graviter molesteque fero, tam utilem artem indignè ac perperam à multis exerceri, qui nequidem priora illius Elementa norunt, aut illis noscendis ope-

Artis Medicamentariæ Encomia.

operam navarunt: Nec assentior fumivendulis illis Chemicis, qui inter magnifica auri potulenti præconia hoc quoque habent, quod vires integras conservet, instauret, roboret, solidum cibum præbeat & æternam quasi compagem adversus omnes injurias donet. Nam hæ nugæ sunt illorum Thrasonum, quorum culpa universa Medicina despicatui est. Sed quid opus est in mustaceo leaureolam quærere? Immensus est materiæ Medicæ thesaurus & infinitus remediorum numerus, in quibus quicunquè optimè fuerit versatus, magnam partem Medicinæ maximèque necessariam adeptus est: Nullus enim in arte medicâ præcellere potest, qui pharmaciam ignoret, nedum partem illius theoreticam, sed practicam etiam, & medicamenta re ipsa componendi artem. His sanè solis morbi propelluntur. Qui hæc optimè noverit, aggredi potest curationes, etiamsi reliquarum Medicinæ partium quodammodò rudis fuerit; quotidiè enim videmus multos plebejos & aniculas remedia ægrotantibus exhibere, cum vires quorundam Medicamentorum didicerint & sæpè multo faustiori Apolline illis, qui profundiorem, sed absque experientiâ, tenent scientiam; in quibus luculentè probatur hoc Aristotelicum 1. Metaph. cap. 1.: *Videmus expertos magis id, quod intendunt, consequi, quam illos, qui rationem absque experientiâ tenent.* Hæc remediorum cognitio soli propriæque experientiæ (*quæ est ejus, quod sæpe eodemque modo fieri visum est, memoria & observatio*) debetur: Quis enim artifici peritissimo non plus tribuet quam otioso speculatori? Multum etiam refert, sive is, qui utitur, sæpè expertus fuerit, sive acceperit ab iis, qui experti sunt. Cæterum remediorum notitia apud imperitos, est, veluti ensis in manu furiosi: Nam temerarius eorum usus

Prærogativa in utrâque Pharmaciâ peritorum.

multos interimit, casu autem sanat: idcircò cæteris palmam præripit, qui cum ratione conjunxit experientiam, hæc in remediorum probâ notitiâ consistit: ratio in usu eorum oportuno. Dolenda igitur multorum in re tam necessaria imperitia & ignorantia; Nam uti quivis artifex sine debitis instrumentis, sic nec Medicus absque congruis Remediis aliquid operari potest. Oportet ergò Ipsum divitem Medicinæ penum perscrutari, vegetabilia sæpe propriis manibus tractare; animalia eorumque partes ac mineralia jugiter examinare; nihilque intactum relinquere, donec ex innumerabili hac materiâ optima quævis & utilissima, brevi usu ventura, sibi vindicaverit, (Medicamentorum enim electio temporis progressu, eorumque frequenti tum aspectu, tum contrectatione, perdiscitur. Medicus quippe in illis eligendis, præparandis & miscendis, non modo interesse, sed maximè eorum dosin, morbo, temperamento, parti affectæ, ægrotantis ætati &c. convenientem præscribere debet, ne ulla fraus errorve subrepat) neque ab his laboribus cesset Philiater, antequam singulorum Anatomem, Præparationem, Resolutionem & Compositionem, secundum utriusque Pharmaciæ leges, probè calluerit. Hic mihi in mentem venit (quod nuper audivi) cujusdam his studiis vacui, vel saltem levissimè tincti, facetum satis exemplum, qui, ut videretur aliquid facere in præcipiti vel ipsi ignoto casu, semper præscribebat Syrupum aliquem, V. Gr. papav. Erratici vel similem, aquæ stillatitiæ simplici cuivis permixtum ut si nil indè commodi sentiret patiens, etiam nil damni indè pateretur. Probè hic didicerat, sed nimis generalem fecerat Clariss. Sylvii auream regulam: *ut in casibus dubiis ac incertis medicamenta in usu revocentur*,

Quibus mediis pharmaciæ peritia acquiratur.

Luculentum Imperiti exemplum.

quæ

quæ tantum prodesse, nullatenus nocere possint ægris, conjectatis sive laborent, sive non laborent affectibus. Interim (quod maximè dolendum) tam cruda studia in ægros propelluntur, quanquam certè hic multò cautius ageret illis, qui neglecta auxiliorum materiæ à pueris institutione, inconcinnis, nauseosis, periculosisque suis remediorum formulis pharmacopœorum famulis, ipsisque barbitonsoribus risum moveant, & nisi ab illis castigentur, ægros in maxima pericula conjiciant.

Quid etiam honoris Medici magis indignum, quam quod nesciat, cujus consistentiæ, coloris, odoris saporisque illius futurum sit præscriptum Medicamentum? Poteritne ex illis ingredientibus expetita formula componi? Et quod magis urget; si quoque doses viresque illius imperitiam arguant. Quorum omnium sat multa prostare exempla, utinam essent ultima hodièque non viderentur! Apud omnes Pharmacopolas in confesso est, & integræ unciæ & dragmæ, pro granis & guttis Narcoticorum, Catharticorum, Vomitivorum, imò Causticorum, immenso cum languidorum periculo, subindè temerè præscriptæ, hæc clarissimè testantur. Absurdarum cupidò, sed forsan meis dictis fidem deroganti, paucula quædam, sed verissima exempla adducam, parciturus tamen Autorum tam viventium quam mortuorum nomini & famæ. En sequens Enema, videte Condita, Mixturas, Bolos, Pilulas, Tabellas &c. & cognoscite.

℞. Rad. Apy. Petroselin. Brusc. Graminis Asparag. Malv. Fœnic. Bismalv. an. ℥ij. Portentosus Clyster.

Sem. Anis. Fœnic. Aneth. Carui, Dauci, Ammios. Cartham. Ruthæ, Bacc. Laur. Cumin. an. ℥ß.

Flor. Chamomill. Melilot. Anthoſ. Stæch. an. pij.
Coq. in Vin. Alb. ad Medias in colat. ℔j. diſſolve
Butyr. recent ℥iv.
Mell. Roſat. ℥ij. Sachar. Rubr. ℥j.
Benedic. lax. ℥β. Vitell. ovi. n. j.
Ol. Nucum. Anethin. Lini an. ℥ij.
F. Clyſter ſtatim injiciendus.

Parvus hic xxvi. unciarum Clyſter, quondam in meo Pharmacopolio ab non infimo hujus civitatis Medico cujuſdam piſtoris uxori, tum nephritide & colica laboranti, fuit præſcriptus.

Sequuntur aliæ monſtroſæ remediorum formulæ, olim apud celebrem hujus urbis Pharmacopæum præſcriptæ, quæque adinſtar portenti, in hujus oppidi Collegio Pharmaceutico, conſervantur.

℞. Sem. Erucæ ℥js. Sachar. Perlat. ʒvj. pulv. in 8. doſis dividendus.

Remediorum portenta.

℞. Ol. Caſtor. ʒiij. Euphorb. ʒij. Caryophil. ʒj.
Ceræ novæ q. S. F. Linimentum.

℞. Succolat. ℥iv. Rad. Satyr. condit. ℥ij.
Teſtic. Gallor. in lacte coct. Caſtanear in vino malvat. coct. Rad. Ering. condit. an. ℥j.
Amigd. d. Pinear. mundat. Piſtach. Virid. Nucl. Nuc. Indicæ an. ℥β. Caſſ. lign. Bol. Cerv. an. ʒiij.
Sem. Fraxin. Borac. Venet. an. ʒij.
Spec. diamoſch. dulc. Diambr. an. ʒiβ.
Lign. aloës, fol. Maj. Nuc. moſch. Croc. Or. an. ʒj.
Caryophyl. Galang. min. Zzib. alb. Card. Minor.
Piper. long. an. ʒij. Ol. Ciaoi, Macis an. ℈j.
C. S. Q. Syr. Nuc. Moſchat. cond F. S. A. Cond.

℞. Eſſent. Satyr. Extrac. ℥ij. Nuc. Ind. recent. Pinear. mundatar. an. ℥iβ. Piſtach. virid. nucl. Avell.
Amigd. d. an. ℥j. Pip. alb. Zzib. alb. Calam. ar.
Ga-

Galang. min. Cardam. min. mund. an. ℥ß.
Borac. Venet. Auri Potabilis an. ʒiij.
Sem. Eruc. Ling. avis urtic. an. ʒij.
Magiſt. Perlar. Or. Sal. Paſſerum. Corall. Rubr. an. ℈iv.
Boleti cervin. Priapi Tauri. Cervin.
Teſtic. Talpar. exiccat. carn. Scinc. mar. an. ʒiß.
Moſchi laudabil. Ambr. griſ. an. ℈ß.
Ol. Macis, Nuc. Moſchat, Ciaoi. Garyophill. an. ℈j.
C. S. Q. Syr. Rad. Satyr. condit.
F. S. A. Electuarium.

Approximo ad magis vulgaria.

℞. Pulv. Oc. Cancr. gr. xv. Sal. Prunell. ℈ß.
Croci gr. vi. Laud. Opiat. gr. viij.
F. Pulvis, Febricitanti Vetulæ.

Nimia hæc Laudani quantitas, procul dubio, ſoporem lethumque attuliſſet.

℞. El. Hydrag. & Cholagog. Sylv. an. ℥v. Crem. Tart. ʒjß.
Aq. Fœnic. q. ſ. F. Hauſtus.

℞. Extr. Cathol. gr. xxv. Troch. alhand. ℈ß.
Dyagrid. viij. F. Pill. no. vii. pro doſi.

Hæc vulgares doſes excedentia periculoſam Hypercatharſin produxiſſent.

℞. Diagrid. Vitr. Antim. Salſ. Paril. Extr. Cath. an. ʒj.
Mercur. vivi, Præcipit. alb. Bezoar. mineral.
Antimon. diaphoret. an. ℈ß. Ther. Venet. ʒiß.
Ol. Caphuræ Iumperi an gt. xv.
F. S. A. Maſſa Pilular.

Non culpandus eſſet hic Antiquarius, quod ſecundum Antiquos opiata purgantibus miſcuerit, ſi ſolummodò quantitatis proportionem melius obſervaſſet.

℞. Elect. Cariocoſtin. ℥v. Diaphænic. de Bacc. Laur. an. ʒij.
Spec. Diagalang. Diacumin. an. ℈ß.
Laud. opiat. gr. ij.
Aq. Caprifol. ℥iv. F. Hauſtus.

℞. Pill. Fætid. Aloëphang. an. gr. xv.
Reſin. Agaric. gr. viii. Mercur. dulc. gr. vij.

Troch. Alhand. gr. vj. Elix. Proprietat. ℨj.
Ol. carui gr. xx. F. pil. N°. V. pro Dosi.

1 ℞. Croc. Metallor. pulv. ℈j. Crem. Tart. ʒß.
Pulv. Mastic. Ciaoi. an. gr. v.

2 ℞. Oxysach. Vomitiv. ℥iij. pro Dosi.

3 ℞. Aq. Meliss. & Menth. an. ℥ij.
Ant. Diaphoret. ℈ij. Oc. Cancr. pulv. gr. xxv.
Margarit. Præparat. ʒiß.
Tinctur. Croci ʒiij. Ol. ciaoi. ℥j. Macis. ʒij.
Syr. de Symph. Fern. ℥j.
F. mixtura.

Hæc sequentia magis ridicula, quam periculosa sunt V. Gr.

℞. El. diascord ʒß. pulv. Oc. Cancr. gr. xxv.
Ant. diaphor. ℈j. Croci gr. viij. pulv. Rad. Contrayer. ℈ß.

M. F. Bolus, quod sine cujusdam liquoris additione, impossibile factu est.

℞. Aq. Endiv. Lactuc. Portulac. Cichor. Caprif. Acetos. Plantag. an. ℥ij.
Oxymell. f. ʒij. M. F. Iulapium.

1 Non posset sine summo periculo propinari hic pulvisculus: vulgarem quadruplo non tantum superat dosin: Sed in genere omnia ex stybio Vomitoria, pessimè in substantia, tutius in infusione porriguntur, quia diutius, quam par est in plicis porisque ventriculi hærendo, molestissimos periculosissimosque vomitus nauseamque continuare faciunt.

2 Nec vacat periculo, suetam excedens, hæc oxysachari vomitivi dosis.

3 Hujus prodigiosæ mixturæ Præscriptor à Pharmacopæo de ingenti ejus prætio monitus, excanduit; porrò de horrido ardore, penitus ad cauterium potentiale accedente, conquærenti, indignabundus caperataque fronte satis mordaciter dixit: Accipe tum Olei Cinamomi dragmam. Sed prudentior Pharmacopæus tantum dragmæ tertiam, seu guttas xx. sumebat, diminutâ etiam Olei Macis quantitate, atque tum vix præ ardore ab ægro sumi potuit.

Similium plurima specimina, multâ annorum serie, nec in unâ solum civitate à me observata annotataque, indagare possem: Sed brevitati studens, verbulo finiam: me non semel vidisse præscripta, apozemata, quorum sic-

ſicca ingredientia incocturi liquoris ferè dimidium ſuperabant. Tabellas, quarum pulveres ſachari quantitatem longè excederent: Emplaſtra, quæ Linimenti, Linimenta quæ Emplaſtri conſiſtentiam referrent: Pilulas liquidis ſubmerſas. Mollia Electuaria, præ pulverum copiâ, ſolida reddita: itaque aſinos ad lyram, Bæoticoſque redivivos. (Sed fallitur Pharmacopæorum Schola bardos æſtimans, qui uſualium vix centeſimam norunt, Chinæque radicem à Rhabarbaro; Nepetham ab Urticâ; Opium à Glycirrhiſæ ſucco &c.; (ut ſubinde vidi audivique) internoſcere neſciunt. Levioris enim hæc ſunt ponderis, infraque dignitatem illorum; qui accerrimo ſuo ingenio ac ſubtili judicio, inviſibilis cujuſmodi particulæ figuram argutè perluſtrare, & in infinitum Geometricè dividere poſſunt.) En luculenti, potius malè olentes tam crudorum Studiorum fructus! Plura referre horret animus; non enim indiget verbis veritas, his torpet mens inſcia recti; tollatur igitur abuſus, vanaque doctrina, maneatque ante omnia neceſſarius rectè dignoſcendis & præparandis remediis uſus, & ſi unquam alibi, in artium Regina medicinâ, ut in præcedentibus inculcavi, nunquam uni rei, multò minus inani alicui ſpeculationi, eſt adhærendum, ſed ſemper aurea mediocritatis Regula eſt obſervanda: id eſt actuali non otioſæ, nec ſolum in ſpecie huic illive, ſed in genere omnium in Medico requiſitorum cognitioni & peritiæ, actuoſè & pro viribus annitendum eſt. Quidam Medicus Perſa rogatus undè ſuam comparaverat ſapientiam, reſpondit: *ab indoctis & Bardis:* Nam ab omnibus, quæ illi fecerant, ſibi caverat. Aurea profectò Barbari verba multoſque Chriſtianos confundentia, qui tantas vel ſimiles contemnentes ſententias, nunquam veram in Medicina practica conſequentur ſapien-

pientiam; ſed blaterando, mentiendo, per plateas curſitando, ineptè medicando, in artis ſcandalum proximique ſtragem ætatem terent! Undè jam hæ lachrymæ? meo judicio, eo quod Academiæ citius ac facilius multò Bullas, quam Mechanicorum Collegia Magiſterii Diplomata conferant. Sæpe vix peracto duorum, trium, vel ad ſummum quatuor annorum ſtudio cuivis laurea offertur atque Doctor ſalutatur, qui bullatus & ſolummodò ex libris Doctor, ſtatim in utramque involat Pharmaciam, perſuaſus ſibi una cum bullâ ejus Chirurgiæque peritiam nunc traditam, atque has, (ſua magnificâ bullâ longè inferiores) jam ad unguem intelligere. Sed errat Arrogantulus, denegato enim ipſi, ſi ſtudeat uſpiam publicam inſtituere Pharmacopæam, ad hoc privilegio, donec ejuſdem civitatis Decani Aſſeſſorumque Collegii Pharmaceutici examini ſeſe ſubjecerit, quo caſu non raro contigit, ejuſmodi Sciolos præſumptuoſoſque, propter craſſam ſuam ignorantiam repulſam paſſos, quod nemo mirabitur, cui innoteſcit, Tyronem Pharmacopæum ſex ſeptemve annorum diſciplinâ opus habere, priuſquam ritè publicò ſatisfaciat examini. Hinc tantos noſtri averſantur labores, malentes domi in latibulis maximo ſuo cum emolumento quædam ſordidè, ſqualidè & confuſè miſcerè, ſuiſque ægris propinare. Quod cacoëthes hodiè in immenſum altas & apud Veteranos & apud Tyrones egit radices, ita ut multi, etiamſi ſibi de ſuâ in utraque Pharmaciâ ſint conſcii ignorantia, nihilominus propter dulce lucellum ſuum viroſum minutal cum periculo in Ruſtico, (uti ferunt) experiantur. Sed penè oblitus eram quendam memorabilem, admodum ſingularem, pluribus hac in urbe notiſſimum, atque ad me ipſum pertinentem caſum. Quidam hujus urbis ju-

Increpatus à quodam Profeſſore quidam mihi notus Sartor, Sartorumque Collegii Decanus; quod tales bæoticos promoveret Magiſtros, qui nequirent vulgarem conſuere veſtem, lepidè reſpondit: Mi domine, ſi nos illos amandemus, ibunt Hardervicum.

Undenam illæ lachrymæ.

Quod Belgic. ſonat Proverb. Hy waagt 'er een Boer aan.

junior Medicus casu alicubi offendit honestum quendam Civem, à multis annis asthmaticum, cachecticumque, & cui ego ab aliquot annis à valetudine essem, blandè ipsum alloquitur, interrogat de sanitate malâque habitudine, arrogat sibi promittitque ipsi integram sanationem pristinæque sanitatis restitutionem, quem in finem ipsi gratis offert quoddam Conditum, ter quaterve de die, ad nucis moschatæ magnitudinem sumendum, sumit Credulus: Sed Eheu! postridiè tantâ opprimitur hypercatharsi, ut sibi maximo cum cruciatu viscera per podicem exprimere videretur, & moribundus me accerseret; accedo ocyssimè intellectâque hâc ipsi fermè funestâ fabellâ, protinus violentum proscribo Conditum; præscribo Anodynum, sub adstringentem Clysterem, Mixturam & Apozema, quibus auxiliis primò parum remisit, iteratis, post dies aliquot, prorsus tandem desiit Superpurgatio. Hic primus Tragœdiæ actus: Catastrophe Autori ac Actori Medico Tyroni, modo sequenti fuit lethalis. Restitutus jam, nec sinè causâ iratus Civis accedit ad Medicum, reportat Conditum, illique opprobans, quod suo viroso oleto ipsum ferè necasset. Ridet Medicaster, juratque suum Conditum optimum, probatissimum, quod ut probet experimento ejus Bolum satis magnum devorat. Abit, tamen ob sibi illatas afflictiones, admodum malè contentus Civis: sed quid fit? Post paucos dies enixè à Medico, ut ad ipsum accedere dignetur postulatur; obsequitur: Tum Medicus Civi: Amice dilectissime, veniam precor, quod te meo Medicamento tot tantisque affecerim doloribus & periculo: ipse jam Ego ex sumpto, te præsente, Bolo graviter periculoso alvi fluxu laboro, & à te, quænam tibi à tuo Medico in hoc casu sunt propinata remedio-

Verissima sed simul horrenda Tyronis Medici historia.

rum genera, avidè peto. Assentitur Lacrymanti Civis, valdè miratus levitatem hominis petentis remedia illius, quem antea ipsi despicatum reddere satis arroganter esset conatus. At proh dolor! incassum erant omnia mortem in procinctu habenti Medico remedia, qui tandem post paucorum dierum decubitum, nec impedire valentibus expertissimis Medicis, reluctantem spiritum exhalavit. En audaculi deplorandum atque omnibus numeris absolutum imperitiæ pariter ac arrogantiæ exemplum. Sit hoc tibi instar Phari, qui tibi de tuâ ignorantiâ probè conscius contrà conscientiam te ipsum proximumque in discrimen conjicis. Sis, quæso, alieno periculo cautior, & erit tibi ab inimicis salus. Adderem simile, quod nuperrimè in honestissimo pariter ac notissimo cive hic accidit, funestissimæ hypercatharseos exemplum, nisi proximi amore percitus, ejus errata occultare, ejusque famæ parcere mallem: hanc ob causam hic silentio quoque non valdè dissimile quid, de morte duorum in hac Civitate publico stipendio Medentium, præteribo; licet fama; utrique assumptum Emeticum funestum fuisse (in præsentiarum, & dum hisce ad finem festinat Typographus) percrebescat.

Hisce missis accedo ad Sceptrigeros inter remedia Monarchas, impavidè detracturus, quicquid larvæ personatæ agglutinatum sit, ne scruta hæc impediant, quo minus deplumes hi gryphi possint perlustrari. Adesdum famosissima atque botanopolarum usurâ præciosissima igiturque pauperis incomparabilia, quanquam exspectationem vulgò fallentia, à multis ævis gentium suffragiis maxima & decantatissima Medicamenta, ut videam, in quibus, & quantum sueta vestra Elogia elata ornataque sint hyperbolis; an intersigne tui arro-

De Theriacâ, & Mithridatio.

gantiæ

gantiæ pallatii ab uno latere pro inſcriptione non habeat: *Mundus vult decipi;* ab alterâ: *Quantum eſt in rebus inane?* Antiquitatis prærogativâ meritò præcedentia, parique paſſu ambulantia offendo *Theriacam Andromachi* (ab Andromacho Neronis Medico: ut diſtinguatur à Squillâ, quam Avicennâ Theriacam contra venena; ab Opoponace & Ariſtolochiâ, quæ Theriacam ad puncturas appellat) Panacæam vulgi, cum hic frequens ſoleat in quovis morbo abſque reſpectu ætatis, temperamenti, ſexus, temporis morbi, ad ejus uſum, tanquam ad ſacram ſalutis anchoram confugere (*vulgò Venetam*, quoniam antequam tam frequentibus navigationibus luſtratæ eſſent Indiæ, ſolum Veneti ingredientes ad hoc Compoſitum nugas haberent venales) *Mithridatiumque Damocratis*, ipſius Plinii ſuffragio *excogitatas luxuriæ Compoſitiones;* de quibus rationis indice exploranti compertum eſt, illas nihil aliud eſſe, quam Inconditas numeroſorum, qualitatibus & viribus ut diverſiſſimorum, ſic inter ſeſe contrariorum ſimplicium abſque ordine & methodo Farragines, quorum magna pars nuſpiam reperitur, major incognita, maximaque fruſtranea atque inutilis eſt, ita ut nemo ſanæ mentis dolebit, opinor, quod refrigeſcat apud noſtrates in tales Divos relligio, nec Germanis Italiſque invidebit, quod harum Aulicociarum ſubindè aliquot centenas, imò ferè ad bis mille (quod me olim Francofurti ad Mœnum vidiſſe memini) libras, magnis ceremoniis & pompâ componant, aſtipulante privilegiiſque muniente Seplaſiariorum conatus Magiſtratu. Sic enim eſt harum Gentium indoles, à majoribus receptis ritibus ſemper mordicus inhærere, & pro iis, tanquam pro aris & focis, dimicare, maximo quidem avarorum Seplaſiariorum emolumento,

quoniam ſola Theriacæ Mithridatiique olla ipſis propemodum victum amictumque præbeat, perſuadentibus ſubimet ipſis tam Oppidanis, quam Ruricolis ſeſe à morbis, incendiis, tempeſtatibus, faſcinis &c. vix momentò fore immunes, niſi horum Calipodiorum alterutrum in manticâ circumferrent, vel ut minimum in ſuis ædibus ſervarent. Hinc myriades omnis prætii ſtannearum pixidum quondam ibidem apud Pharmacopœum mihi familiarem vidi, quæ nundinarum tempore ab hoſpite, mercatore, civi & ruſtico paucis diebus tam avidè diſtrahebantur, ut in ſinum ridenti Myropolæ ſingulis horis diurnis veſpertiniſque, vix daretur vel cibandi vel placidè reſpirandi tempus: Quamobrem huic verò Alchymiſtæ ex Oletoque Aurificini Sacrum, à quam plurimiſque fruſtrà deſideratum *Adepti* titulum, pervoluntariè conceſſerim.

De Confectione Alkermes & Hyancintho.

Sequitur alterum non minus nobile auri margaritarumque ornatu, Arabum majeſtatem præ ſe ferens par: *Confectio Alkermes & de Hyacintho*, quæ perverſo admodum ordine antiquitus deſcriptæ, & à recentioribus Arabicæ Diſciplinæ ſequacibus emendatæ interpolatæque nihil aliud ſunt, quam Confuſa inordinataque quorundam exoticorum ſimplicium Congeries, in quibus (ſi pauciſſima quædam excipias) nullam vim cardiacam, (ut quotidianâ etiam conſtat experientiâ) diſpicias, quicquid venalitii præcones de iis garriant.

Alkermes Confectionis baſis enim, quid aliud quam *Cocci Baphici*, ſeu granorum ex ilicum genere ſuffruticis Sacharo in ſpiſſata Tinctura (Syrupum vocant) magis, me judice, ad tingendos pannos, quam ad confortandum ſanguinem refocillandoſque ſpiritus apta; parique exiſtimo jure ab antiquis in medicina introducta, quam à novatoribus *Conchenilia*, quam magni ho-

hodiè quidam faciunt, etiamsi pulverisatum hoc insectum ejusque Tinctura, præter colorem satis gratum, nihil habeat unde superbiat Medicus. Ingenuè enim fateor, me capere non posse, quo pacto subaustera, plerumque vermiculum in se continentia *Kermes Grana*, secundum Veteres, cordis infirmitatibus; ut Syncopi &c. succurrere potuerint. Quia Hystericæ non ferunt *Ambram*, nec Myropolis libet tanti emere merces, vulgò emittitur, mancumque reddit Compositum. Quod ad *Lignum Aloës*, mercatorum fidem attestor, qui sæpe sæpius in rebus minoris momenti nobis imponunt. Proscribo genuinum, vomitivum purgantemque *Lasuli Lapidem*, licet hodiè, Aromatariorum primipilis id asserentibus, nuspiam fermè reperiatur, ejusque loco quidam Marcasiteus marmoreque albo conspersus lapis proindè nocentissimus, substituatur. *Perlæ* atque *Aurum*, meo judicio, exigua vel nullâ vi pollent cardiacâ, solumque ad splendiorem fucum lenociniumque adjiciuntur; licet apud quosdam inter cardiaca secundi generis, id est diu in sanguine manentia, & lentè sed constanter confortantia primum locum obtineant, acsi hæc terrestria & gravia quibus digerendis ventriculus noster est impar, non potius suo pondere per inferiora deturbarentur, quam spirituosa & aromatica, quæ quidem subitò, sed tantum pro momento, refocillare volunt. De Perlis & Auro.

Quibus olim permotus Rondeletius, Medicus Monspeliensis eruditissimus, quanquam peregrinis simplicibus aliàs addictissimus, confectionis hujus parum tutum usum esse, admonuit, quod alterius Monspeliensis Medici calculo comprobat: aitque quendam virum non ignobilem sibi notum, ab illâ in gravem fœdamque Dysenteriam incidisse. Quod minimè miror; expensa

ingredientis acriusculi subindèque corrosivi lapidis virtute. Simplici plebeculæ, iisque, qui varietate delectantur, persuadetur, eximium quid hujusmodi Confectionem esse ob admistum Aurum. Verum ludibrium merum est. Aurum quippe ore sumptum nullius est usûs & efficaciæ: subdolumque inventum est hominum Arabum more viventium, ne dicam prædantium, ut miserabilium ægrorum illis plus æquo confidentium è loculis nummos callidius eliciant. Aromatarii etiam & Myropolæ Auxitaniæ, *(du Languedocq)* ubi olim utplurimum cudebatur, indèque ad alios adferebatur, illius Liguritores naso suspendebant. *Confectio de Hyacintho* in multis cum superiori colludit, in eo præsertim, quod non minus vitiosa sit, nullaque facultate cardiacâ prædita. Dispensatoriographi nostri recentiores de illâ pariter mira deblaterant, ob *fragmentorum Prætiosorum, & Auri argentique bracteolas* aliquot, quæ eam ingrediuntur, non tam oculos quam mentem ægrorum obsequentium sub specie medelæ perstringunt & ludificant; Tenuia quippe ejusmodi fragmenta; omni colore fulgoreque vacant, spiritusque nostri eâ ratione, quam idiotis suadere nituntur, minimè opus habent. In illis fragmentis, ut in ridiculis *Serici crudi Folliculis*, ne tantilla quidem vis alexiteria vel cardiaca residet, quin potius insipida, cretacea noxiaque sunt, ipsumque *Corallum*, nec centesimam Thrasonum de eo encomiorum, meretur. Posset igitur exiguâ jacturâ ex finibus usibusque medicis eliminari famosa *Hyacinthorum Confectio*, cum nihil eorum penitus exsequatur, quæ de illâ jactantur.

De quibusdam magnis Compositionibus.

De *aquis Theriacalibus, Imperialibus, Angelicis, Mirabilibus, Magnanimitatis, Besoardicis, Celestibus,*

bus, *Aureis*, *Hystericis*, *Epilepticis*, *Nephriticis*, *Alexipharmacis*, *Vitæ Reginæ*, *Perlarum &c.* *Speciebus Salomonis*, *Diambræ*, *Diamoschi*, *Diamargaritonis*, *Cordialis*, *Ducis*, *Lithontriptici*, *Lætificantis*, *Liberantis* infinitisque similibus; de ingenti ingredientium numero superbientium *Syruporum* Legionibus, *Electuariorum* turmis, *Conditorum*, *Conservarumque* cuneis; *Aquarum Simplicium* distillatarum acie, *Pulverum*, *Trochiscorum*, *Pilularum*, cornubus; *Oleorum*, *Unguentorum &c.* sarcinis, calonibus & caculis, reliquo hujus exercitus comitatu, milleque otiosorum nugatorum inventis, Amplissimorum Titulorum ut: Egregii, Optimi, Morbi, Pesti, Febrifugi, Universalis &c. catervâ stipatis. Idem pronunciandum, quod de vitiosis libris censeo.

Pergula pictorum, veri nihil, omnia falsa.

Quandoquidem frustranea plurima sunt, meraque figmenta ab Arabibus eorumque asseclis, ad crumenam ægrotantium exhauriendam, inventa. Si ingredientia ex quibus conflantur, flocci nihilque sint, ex iis composita, quo loco (quæso) prætiove habenda in morborum eorumque causarum expugnatione? Splendidè utplurimum hæc væneunt, perperam susque deque permista, nullisque veracibus testimoniis, vel rationibus suffulta sunt. Solis enim in arrogantum morionum buccis, fastuosisque Dispensatoriis percrepant, citra ullum evidens experimentum. Quasi earum præstantia in multifariâ compositione consisteret; & quanto plus inesset compositionis, tantò validiores virtutes medicamento afflaret. His subindè ipsis morbis periculosioribus, sæpè dum viveret, (ut testatur de Quercetano Johannes

Re-

Renodæus) Aulicos & nimis credulos fefellit Medicus quidam, hominum mendacissimus, bibacissimus, vanissimus, salacissimus. Ut rem in pauca conferam: puto plurimas operosas inter auxilia medica compositiones sua natalitia duntaxat quorundam nugivendulorum figmentis debere, eorumque obstetriciâ arte natas, qui nunquam manubus operi admotis, magno molimine in hoc desudarunt, ut viderentur maximo apparatu & pompâ fecisse, quæ nec unquam viderint, nec ipsi intellexerint. Interim (quod pessimum) ex his tricarum officinis tanta volumina absurdissimarum Compositionum farragine repletissima, in gratiam ut volunt; sed magis putem, in confusionem Philiatrorum, in forum medicum sunt protrusa, ut in delectu innumerabilium, inutilium, noxiarumque Compositionum anxius hærens Medicinæ Tyro, vix, quo se vertat, nesciat. Ita ut optandum foret, quod maxima ejusmodi Dispensatoriorum farrago, in æternum tenebris oppressa mansisset, nec assiduè ejusdem farinæ nova scilicet, sed antiquis suffurata, in lucem prodiissent.

De Besoardico Lapide.

Si quidam Gesticulator jure meritò laudandus veniat, quod molam cæteris omnibus anteponat lapidibus, ob illius usum generi humano adeo necessarium; vice versa potiorique ratione, *Besoardicum Lapidem* insectari mihi liceat, cum eo, velut instrumento, tam ex Judæis, Muhamedanis & Ethnicis, quam ex Christianis Aromatarii, postque eos Pharmaceutæ, tot hominum myriadas miserè circumvenerint, ex quo lapis iste offensionis adinventus est, in quem jam pridem turpiter impactum est. Falsis infandisque experimentis fide temerè habita. Infandus lapis, à quo ante sæculum tot ferè offensi sunt, quot à melioribus remediis adjuti. Facilè planumque mihi foret, solidis celeberrimorum

morum Autorum argumentis & experimentis, veluti validiſſimis machinis ſeu bombis, exſtructum dudum ex iſto fabuloſo Chimæricoque lapide ædificium diruere. Sed quia inveteratus iſte abuſus, Lucrionum ſordibus & dolis introductus, exoleſcere incipit, egregio Medicorum, tam infami mangonio infenſorum, ſtudio & operâ, non ita hic multus ero. Paucis duntaxat perſtringam: utrumque ex orientali vel occidentali Indiâ Beſoardicum Lapidem merum eſſe figmentum, nihilque de eo ab Autoribus antiquis memoriæ proditum, ſolumque à centum vel circiter annis in Medicinam introductum, eorum præſtigiis, qui continuò ſatagunt, ut apud vulgus plus æquo credulum nova medicamenta intrudant, ut immeritorum periculo quæſtum indè expiſcentur. Vafrities equidem ingenioſiſſima, egregium Agyrtarum inventum, omni ratione deſtitutum, nullo experimento firmatum, muliercularum fabulis innixum, vel profligatæ audaciæ hominum, quos contrà animi conſcientiam id aſſerere, quod nunquam animadverterunt, minimè pudet! fallaci ſolum fraudulentoque veteratorum Judæorum Luſitanorumque teſtimonio ſuffultum, qui pro fictitii Lapidis pauciſſimo pondere purum putumve aurum & argentum ex ægrorum loculis eliciunt: quibus majori igitur eſt quæſtui, quam famoſus ille Lapis Philoſophicus Alchymiſtis. Hanc ob cauſam hic animalis *Bezoardicus Lapis*, quaſi Tenebrionum idolum, auri ſacrâ fame inter egregia Medicinæ præſidia intruſum, à multis totius Europæ celebribus Medicis ſpernitur, rariuſque ab quocunque hodiè præſcribitur, niſi ut ægrotantium cognatis gratificentur, qui forſan de illius viribus mirabilia ſibi imaginantur, atque ſic ſuſpicionem calumniamve à ſe amoliantur eorum interi-

tus qui illo usi fuerint, quasi vero sacram & ultimam salutis anchoram contempsissent. Alias plurimi, inter quos Cæsarum, Regum, Pontificumque Archiatri, Professoresque celeberrimi, ejus usum condemnant, omnes harmonicè convenientes, præter nomen atque opinionem citra ullum successum ex hoc Lapide nobis nihil superesse; nullumque unquam memorabilem ex eo sæpe & sæpius in febribus malignis, ab ipsis exhibito effectum se conspexisse; Lapidem, qualiscunque sit, puram putam esse fallaciam, sive ex Oriente, sive ex Occidente allatum, optimumque nullius prorsus esse momenti, præterquam quod nulli jam reperiantur genuini, sed omnes spurii suppositique sint: ubi enim credideris te sincerum germanumque comparavisse, ossa usta, cretam, gypsum, cineres, conchas, sanguinem siccum, lapillosque minores te emisse, comperies, sic convenienti liquore quodam incorporata & concinnata, uti ajunt impostores Judæos illum fabricare. Rivos claudet Clariss. Andr. Laurent. Henr. IV[ti]. Galliar. Reg. Archiatri sententia: Consil. Cap. I. 14. Quod „ad me attinet, de Lapide Bezoardico nequaquam „bene ominari possum, si ab illo meliora, quam tri„ginta retroactis annis, intueri non detur, seu, si „mercatores in Indiis negotiantes nobis hic vivum spi„ransque Animal, ex quo extrahitur, non sistant. „Gnarus quippe sum, omnes hujus lapidis propolas „planos esse vafrosque impostores, speciosaque illa „acroamata, quæ de illius virtutibus palam jactan„tur, meras esse nugas, ad sordes & quæstum, vul„gique, nimis utique creduli, dispendium concinnatas. Sed jam vertenda pagina, audiendaque & altera pars est.

La-

Lapis Bezaar ab Hirco, Cervæ Capræque simili Animali, Orientalis Asiæ Americæque oris indigeno, (de quo consule Monardum, à Costam, Clusium, Amatum Lusitanum &c.) Persico idiomate Bazar, Indico Bezar, vel à facultate Besoardica, hoc est, Alexiteria eximiaque sic dicitur. Nonnulli Bezaar ab Hebræis deducunt, apud quos Bel dominum notat & Zaar venenum; unde Bezaar quasi Dominus veneni. De ejus variante magnitudine & pondere, formâ ut plurimum ovali, superficie lævi, substantiâ lamellatâ, colore plerunque atro virente, odore seu nullo seu Ambram griseam spirante, tandem de notarum συνδρομῆ, quibus suppostitii & adulterini à veris discernantur, ad nauseam Autores. Inferior huic, etiamsi ejusdem speciëi animalis moleque major sit, est Lapis Bezaar Occidentalis, qui à propolis multò negligentius viliusque habitus, scabrâ superficie, inconditis discoloribusque suis fragmentis luculenter denotat, lapidifices Americanos rudiores multò Asiaticis (vel si mavis) nostratibus esse Sycophantis. Quod pace tamen tantorum veneni dominatorum plurimorumque aliàs morborum debellatorum dixerim: nam tametsi eorum testimonia, qui vivum animal viderunt, contrectarunt, mactarunt, lapidem ex ventriculo seu proventriculo ipsi extraxerunt, credam, quid tum? quoniam etiam de ejusmodi, licet verissimo Lapide, fide dignissimi Medici Summorumque Principum Archiatri unanimiter attestentur, hunc germanum sat magnâ dosi sumptum vim nullam, seu occultam seu apertam, possidere, quâ ullo maligno vel benigno morbo opitulari possit.

Sed ut sequentibus locus sit, hoc filum abrumpere cogor, concludendo; si adeò rari & veri Lapides Bezaar nihil poterint, quænam tum sit habenda fides sup-

ſuppoſititiorum apud Propolas Pharmaceutaſque noſtrates proſtantium myriadibus, quibus avarus Aromatarius fœnerantem Myropolam, hic Medicum, ille ex opiparo hoc Lapide opem efflagitantem ægrum, miſerè circumvenit? Sic ut meo ſaltem arbitrio optimè atquè tutiſſimè agat quiſque probus prudenſque Medicus, ne diutius improbis Lapidem Bezaar fabricantibus prædonibus ludibrio ac lucro ſit; ut nunquam præſcribendo, ſed jugiter apud ſuos ægrotantes eum deſpicando par pari referat, ſuâque vice etiam veteratores, tam fabros quam venditores, irrideat, eoſque tandem adigat, ut has ſuas nugas venales puellulis pro ſphærulis luſoriis, vel, ſi maluerint, cæcutientibus delirantibuſque Cœnobitis pro corollis vendant precatoriis.

De Cornu Monocerotis.

Quoniam Μονοκέρωτος fabella (quæ olim antiquitatis oculos adeò effaſcinaverat, ut inefficax hoc Cornu in gazophylaciis Cæſarum, Regum, Pontificum &c. inter cæteram pretioſam ſuppellectilem, ſemper primum ſibi vendicaret locum) hodiè planè exoleta eſt, exiguum temporis in eo luſtrando impendam: tantummodò in tranſitu illud (ut peregrinantes nuper Romæ jam grandævam Chriſtinam Suecicam) veluti vietum antiquitatis monumentum, ſalutabo. Haudquaquam me morabuntur nugatorum ſibi invicem contradicentium hiſtoriolæ, inviſibilis ſeu potius non exiſtentis animalis; nec præpediar fictis, tam Hebraicis, Arabicis &c. quam Barbaris ejus nominibus: dixiſſe ſufficiet, quod duplex Unicornu, incognitum terreſtre ſcilicet & commune marinum, nihil ſingulare præ cæteris animalium præſertim cervorum cornubus habeant, tertium foſſile, formâ, colore, lævoreque cornu referens, multiſque Germaniæ lo-

Vid. Scrodær. L v. Cap. 39. Renod. Cap. XXI. Fol. 673. Plin. &c.

locis ſatis vulgaris lapis ſit, iiſdemque cum lapidibus viribus polleat. Quæ omnia ſeriò conſiderata maximam mihi admirationem movent, eò quod vix capere valeam, quomodò exiguum alicujus cornu, forſitan Eboris &c. fruſtulum tot æva tot tantiſque viris tantoperè ludificari potuerit, niſi mentita raritas, quæ rebus vulgò admirationem conciliat, *nam ardua quæ pulchra*. Hinc omnium temporum ex mendacio fraudibuſque lucrum captantibus ludionibus atque agyrtis multò facilius fuit hanc Chimæram ſuſtinere, quam probis oculatiſque Medicis opus levidenſe fuit, ultimam huic monſtro mactando manum adhibere. Ignorabat quippe malè cautum vulgus, cujus facilè luditur ingenium, quantum diſtarent æra lupinis. Jam verò, ſi uſque quaque ſublatus abuſus non eſt, valdè certè attritus penèque extinctus eſt, veteratorum opprobrio, quibus technas fraudeſque prorogare, & pro iis, tanquam pro aris & focis pugnare, volupe eſt. Altum jam in Pharmacopoliis de benedicto pridem hoc cornu ſilentium, aſſerentique *Andr. Baccio*, ſuum ex hoc effœto cornu amuletum, præſente veneno ſemper ſudaſſe, nulla fides, nec Seplaſiariis ſuppetit occaſio (uti ante 25. annos me adhuc vidiſſe memini) exhalantis aquæ vaporibus coctum Cervinum cornu, (Philoſophicè Præparatum vocant) Unicornu petentibus vel præſcribentibus, duobus tribuſve aſſibus ſingulum granum vendendi. Si maximus Unicornuum Imperator, quem in Divi Dionyſii juxta Pariſios fano ante annos aliquot vidi, magni Ludovici eſſet maximum præcioſiſſimumque cimelium, nuper Confœderatis Principibus credere fas eſſet, ipſum, ejuſmodi nervo non facilè novum redintegraturum bellum. Fertur, quendam Archiatrum ſuo Principi ſciſcitanti, num crederet mirandis virtuti-

bus, quæ vasculo ex cornu Monocerotis conflato (quodque suis prædecessoribus permagnò vænerat, auroque contrà pendebatur,) tribuebantur, festiviter respondisse: *Credam, ubi rescivero ditionis illius* (subintelligens tractum, in quo Unicornu esset vernaculum) *Regem esse immortalem.* Sed hæc satis de Monocerotis supposititio cornu. Qui plura velit, Paræum Lib. de Venenis Cap. 27. legat, ubi strenuissimis rationibus experimentisque anilia de illo ludicro Amuleto deliramenta perdoctè refutantur.

De *Margaritis & Auro* (de quo etiam Cap. v. præcedenti actum) mihi in describendis Alchermes Hyacinthorumque Confectionibus aliquatenus sermo fuit; quibus ne cramben bis apponam, solum hæc addam, Perlas, Margaritas, & inter eas magnitudine excellentes Uniones, albicantes sive lactescentes ac ad rotunditatem proximè accedentes, esse lapillos, qui in ostreorum valdè similibus testis seu conchis, summo vitæ discrimine à piscatoribus Indis è maris fundo allatis, inveniuntur.

Virgil. III. ÆN. v. 57.

Quid non mortalia pectora cogis
Auri sacra fames.

Duplices vulgò censentur, orientales, quæ splendore candore, lævoreque cæteris præferuntur; & occidentales, quanquam nec nostra Europa illis, cæteris longè tamen vilioribus, careat. Atqui hæ planè sunt præstantissimæ illæ *miliares margaritulæ Orientales*, sivè per se, sivè cum pinsendis orient. vel occidentalibus, vulgò **Stamp Paarlen** permixtæ, quas Propolæ Myropolis, hi ægris procurant, & sat carè vendunt, vel potius, forsan ne nimiâ efficaciâ obsint, aut si mavis, ut plus lu-

lucrentur, Nacrâ ſeu matre Perlarum adaugent, diluunt, ipſamque hanc nacram interdum pro ſuccedaneo ſubſtituunt, & tandem utramque in calciformem cretæque formâ & viribus parem pulverem redigunt, ita ut aſſumpturi poſt agonizantes, ab his Margaritis Orientalibus *Præparatis*, ab hac Manu Chriſti Perlatâ (ſic tabellas ex ſach. & perlis vocant) adeo refocillentur, ut (ni alias in fatis ſit) tamen viam lethi calcent, exituque funeſto probetur, medicamentum perlatum vulgo ultimum eſſe apparatum, uniuſque lucri illiciis ſplendidam hanc medicationem in ægrorum triclinium irrepſiſſe. Cujus farinæ offendo facetam apud Renodæum „hiſtoriam. Novi (narrat) Lutetiæ Chirurgulum „Empiricorum aſtutiſſimum, qui ſex aureos poſtula„bat, quod hirudines duas ægroto admoviſſet: quod „cum mirarentur multi, *majorem*, inquit, *mercedem deberem efflagitare, quia menſem integrum illa duo animalcula liquore perlarum cibavi.* Papæ! Sed credíſne Lector cum illo ultimum obiiſſe ſui Collegii Collegam? Comminutæ igitur Perlæ (licet illa ingentis prætii Cleopatræ, vel incomparabilis, naufragio abſorbta, Philipp. 2[di] Hiſpaniar. eſſent) parum vel neutiquam ægrotantis corculum fulcire, vireſque deperditas recreare valent. Aſt integris, magnis & multis, eximias cardiacaſque virtutes, aſſigno, idem de auro affirmo: ſi enim quibuſpiam ægrotantibus aurum opitulari valeat, melancholicis certè, non ex pulvere ſeu potione exhibitum, ſed gravi mole porrectum, hoc eſt, ſi afflictas eorum res opulenta aliqua fortuna ſublevet, vel ſi deploratis rebus ſuſpendio vicini (ut cuidam olim contigiſſe narratur) ad arboris radices quam ad ſuſpendium elegerant, flavi illius metalli ingentem deprehendant molem, undè exhilarentur melancholi-

coque

eoque mœrore & tædio liberentur. Insuper apud dubitantem vel meis dictis fidem derogantem, testor domicellarum torquibus ex margaritis è collo suspensis ornatarum læta gynæcea: testor universam protervorum fastuosorumque, Ducibus Cræso Crassoque, turbam, quibus hæc Timoclis cordi insculpta sæpè per ora perstrepunt:

Argentum & anima & sanguis est mortalibus,
Cujus sibi qui non congessit copiam,
Vagatur ille vivos inter mortuus.

Tandem testor tristes egenos, qui, etsi optimum famis condimentum nequaquam deficiat, nihilominus prædictorum remediorum defectu semper manent incurabiles.

De Mumiâ, Ossibus de Corde Cervi, Amuleto ex Arzenico.

Dudum ex ipsis Pharmacopœorum officinis relegatam, fœdam ulcerosamque *Mumiam*, commenta *de Corde Cervi Ossa*; virulentum, licet Adriani VI[ti] Pontif. Max. amuleto clarum *Arzenicum*, infinitaque ejusmodi plura, revocare nolo.

De Salsâ & Chinâ.

Smilacis asperæ Americanæ, vulgò *Zalsa Parilla*, & Caroli V[ti] arthritide, famosæ *Chinæ Radices*; neutiquam miris encomiis, quibus olim celebratæ fuere, satisfaciunt. Qui etiam hodiè sub symbolo, *eadem terra & ciconias & serpentes profert*, in curanda Neapolitanâ scabie occupantur, eventu probant, alterutrum esse verissimum: has videlicet radices in solo patrio & adhuc recentes ad nos advectis effœtis longè esse efficaciores; vel omnes simul, tam succulentas quam exsuccas, olim & jam, hic illicque, nunquam aliter, quam fastuosis inanibusque titulis, excelluisse.

Ta-

Tametſi non inficior, decantatiſſimum *Stibium* Vulcani ſoboli Paracelſique nepotibus inſtar oculi pupillæ eſſe dilectiſſimum, cum bonâ Loripedis ejuſque ignivomorum poſterorum veniâ, etiam hæc jam à me tangenda eſt. Si Chemicorum aſſertiones de omnipollente (ſi Dîs placet) *Antimonio* veræ ſint, magis mirandum inſtarque miraculi eſſet, ullos huc uſque ſupereſſe morbos, quam mirandum, quod omnes hoc univerſali curentur. Hoc quippe ſalutare numen omnibus mortalium infirmitatibus ex induſtriâ ſuccurrere novit, atque ipſo Sylvio teſte, *non minus corporis humani, quam auri purificationi inſervit;* & ut in præcedentibus genuinam ditiſſimamque Panaceæ mineram profert.

De Antimonio.

Secundum alios, ſexcentorum Remediorum ferax eſt.

Procul hinc igitur diſcedite Profani! qui divum hunc, blaſphemè admodum, dirum & diabolicum inter remedia monſtrum indigitare audetis. Quid *Antimonium* ejuſque præparata vulgò *Antimoniata* ſint, neminem latere poteſt, qui ſaltem in limine Chymiam ſalutaverit. Nihil magis deprædicatur pariter & deſpicitur; ab his laudatur ac ad cœlos extollitur, ab illis culpatur ac ad inferos deturbatur; quam ſit minerale hoc ſtibii corpus, huic Philoſophi per ignem mille proprietates qualitateſque præſtantes affingunt, ipſa nec neglectâ mendaciſſimâ de porcis fabulâ, acſi Veſtphali (quod tamen multò falſiſſimum) *crudo Antimonio* etiam ſuas ſaginarent ſues. A Galenicis æruſcatorum Paracelſitarum idolum, unicum agyrtarum moleſtiſſimumque catharticum nuncupatur.

Sed non libet mihi hanc litis ſerram trahere: utplurimum enim uterque reus altercans, & rariſſimè in pleriſque cum beatis medium tenetur, conſenuerunt in hâc mundi ſenectâ veritatis limites excedendi peſſimi mores, hoc ineluctabile hodiè fatum. Melius igitur

optimo Leeuwenhouckiano, rectè videre discernereque cupientibus, opus est perspicillo. Nam etiamsi vulgò mendaci non credatur & verum dicenti; tamen multis mendacissimis omnium ætatum Autoribus, in veris est habenda fides, quæ ut rationis cribro à mendaciorum furfuribus separentur, necesse est. Sed devius in viam. Certissimum quod in multis satis superbis ineptisque scriptis *de Antimonio* plurima ventilentur, quæ sensui & experientiæ rerum omnium fidæ magistræ refragentur, nec minus est verum, quod ubi duro nodo durus quærendus est cuneus, habito semper virium respectu, *Antimonium* præ aliis valdè efficax (ad everrendam scilicet ventriculi saburram, ut istud Augiæ stabulum exactè si fieri possit èxpurgetur, ne redivivum malum de novo classicum canat,) præstet remedium. Nam per se calcinatum, vel minori triplo nitri quantitate detonatum, cujusnam etiam coloris, formæ, vel nominis, hepatis videlicet, croci, reguli, floris, vitri &c. veniat, in infusione haustum, vel quod pejus in substantiâ assumptum, ventriculum alvumque susque deque movendo anxiè perturbat, visceribus vim infert, ad vomendum ineptos admodum exagitat, torquet, in robustioribus illiusque impetum sustinere valentibus sursum deorsumque varios humores expellit, quosdam vomitu frangit, interdumque vasa disrumpit & sanguinem prolicit, alios hypercatharsi lacessit: tandem hanc vim vomitivam etiam in paucissimâ quantitate nunquam exuit, sed è contrario aliquandò jam cicuratum ad pristinam feritatem redit; omnesque ejus præparationes quovis fiant modo eò tendunt, ut quadantenus hebescat illius acredo adjunctorumque fræna sævitiam mitigarent. Præstantius igitur robustis, eusarcis, nauseabundis, ad vomendum promptis, iisque qui à quoti-

dianis,

dianis debilioribus medicamentis non amplius afficiuntur, ut lienosis, hypochondriacis &c. quam infirmis, macilentis, obesulis, ventrosis, asthmaticis, tabescentibus &c. suppeditat medicamentum.

Crudum, id est nullo modo præparatum, nullam corpus exagitandi vim habet; hinc olim exiguum internum ipsius usum noverant. Qui etiam hodiè ejus libram unam vel alteram apozematibus (ut sæpissimè fit) incoquunt, idem comperiunt: Sale & Sulphure, id est activis suis principiis, mediante Nitro, privata Calx, vulgò *Antimonium Diaphoreticum*, parique passu æqualibusque fermè viribus incedens *Bezoardicum Minerale*, tuta satis neminique nocitura (quod & panis est) sed propemodum inefficacia, si non alicui volatili nubantur, pariter, (etiamsi inter medicantium vulgus decantatissima,) sunt remedia, minimè convenientia virtutibus facultatibusque, quas illorum præcones illis attribuant. Accedit quod chymicastrorum officinalium cohors, ut copiam augeant & thecas laguncul asque repleant, cretam addant, & hoc pacto propolis aromatariis; illi mediantibus proxenetis laboremque propter vile prætium detrectantibus myropolis Medicis; tandem hi inscii & pharmacopoeis confisi ægrotantibus imponunt. Sed gradum sistam, quoniam hæc vel ambubaiis sunt nota, nec veritas indiget rerum verborumque copiâ vel elegantiâ.

Triformis mercatorum scilicet, fumivendulorum, furumque Princeps, unumque ex Chemicorum Triade Numen, fugax Proteoque mutabilior *Mercurius*, cum bonis quidem bonus est, sed cum malis est admodum maleficus, ipsique non male quadrat, quod alias de quibusdam hominibus: *Quod noti nimis omnibus, ignoti moriantur sibi.* Utinam! non tot & tan- De Argento vivo seu Hydrargyro.

 tis,

tis, vel intimius rectiusque quam huc usque, Argenti Vivi vires innotescerent: nec titulo *Vitæ*, subindè facto, mortis fieret, vel execrabili ptyalismo vitæ focum, calidum humidum, prorsus depromeret. Non cuivis enim homini Corinthum adire contigit, draconemque hunc adeò mitigare suumque facere captivum, ut per siphonem in viscerum angustissimorum capillarium carceres impulsus, à Phylacistâ sub arroganti *Nostro*, tanquam Bajazethes in caveâ, ostentari quiverit, & post ejus mortem ab hæredibus, veluti vile mancipium (brevi tamen vincula, in emptorum irreparabile damnum dirupturum,) lauto sat prætio vendi potuerit. Impertit tamen probè præparatum *Argentum Vivum*, præsertim nobilissima ex suâ familiâ progenita *Cinnabriorum Triga*, non contemnendum in morbis Chronicis & Saturninis auxilium.

De Acidulis.

Ad *Acidulas*, *Chalybeata*, *Elixirium Proprietatis*, *Spiritum Cochleariæ*, utrumque *Sal* vel *Spiritus Volatiles Aromaticum & Oleosum* (vulgò *Sylvii*,) *Pilulas Francofurtenses*, *Nicotianæ suffitum*, *fabarum Caffeè foliorumque Theæ potum*, jam venit ordo. Sed quoniam *hodierni Acidularum Fontes* miris encomiis pridem celebratas vires nec habeant nec habuerint, hac ætate utplurimum tantumque à ditioribus, (ut Lauretana Diva, opulentis nimirum à devotis) recreationis animi gratia visitantur; quibus accedit, quod in nostro solo aquarum sat sit, quæ levi negotio, seu additione salis communis, ut Aquisgrani fit, seu alio modo medicata plenisque poculis hausta, æque benè humorum colluvies saburrasque, ac peregrinæ proluere possint, præsertim si ex more apud acidularum fontes, etiam scammoniato aliquo minutali, vel per Jalappam medicato vini spiritu, veluti calcaribus,

bus, urgerentur. Invia fermè etiam jam eſt via, per quam olim *Stadium Chalybeatum* percurrebatur, nec morbi diuturni, curatu difficillimi laterique mordicus hærentes, jam inerti huic *Marti* plus victas dant manus. Celeberrimi quondam *Proprietatis Elixiri*, cujus uncia vulgò in pharmacopœis imperiali vendebatur, ad paucas quoque guttulas propter imaginariam efficaciam ſumebatur, prætium modò ac æſtimatio adeò remiſſa ſunt, ut dimidium heminæ ſex aſſibus ab interpolatoribus vendatur, integriſque cochlearibus abſque ulla aſſumentis turbatione ſorbeatur. Miris encomiis dudum celebratiſſimus, maximus ſcorbuti monſtri domitor *Cochleariæ Spiritus* ferè uſu exulat.

De Chalybeatis.

De Elixire Proprietatis Paracelſi.

De Spiritu Cochleariæ.

Prætenſo primo Autori maximo ſuo emolumento pridem decantatiſſimus duplex, tam *Volatilis Aromaticus* quam *Oleoſus Sal* (potius *Spiritus*) vacillanti valetudini milleque morbis (ut nuper fama ferebat) diutius opem ferre nequit, ſolum delicatulis aromatiſando vino inſervit. Nec ullus hodiè Clariſſ. (dum viveret) Autoris amplius curat declarationem: videlic. *ſe nulli mortalium aperuiſſe ſalium ſuorum volatilem præparationem, hæredibus ſuis quo etiam ſe mortuo ægris inſerviant relinquendam.* Quandoquidem hodiè quiſque nundinalis coquus ubivis de ſua in præparandis his *Salibus Volatibus* dexteritate gloriatur: nec debitus panchreſto huic nuper remedio honos amplius conſtet.

De Sal. Volat. Ar. & Oleoſ. Sylvii.

De exiguis, nomine *Francofurtenſibus*, re noſtratibus *Pilulis*, ſaxifragis pridem *hirci ſanguine meſpilorumque oſſiculis*, altum ſilentium. Ut brevis ſim, omnia tanto encomiorum faſtu ſuperbientia ac mirabilia ortu Panpharmaca ſibi ipſis deſunt, & tam ad altè radicatos & diuturnos, quam ad ſubitaneos & acu-

De Pilulis Francfurtenſibus.

tiſſimos morbos curandos, æquè imparia ſunt. Magis adhuc oleum operamque perdet, qui harum fideliarum unâ (ut Thraſones volebant) plures ſimul dealbare parietes ſtudeat.

Nil mirum igitur, hos emeritos amplis dimiſſionis diplomatibus munitos, hodiè penè ad præterita ſæcula relegatos videre; eaque quæ pridem in omnium ora trita ac optima audiebant, jam vix tepidè nominari.

De Nicotianæ ſuffitu,

De familiariſſimo hodiè *Nicotianæ Suffitu* ingens fumantium agmen tam ſentit reverenter, ut ſaluberrimum omnibus & in omnibus (etiam cum Diemerbrouckio ad peſtem) eſſe credant.

Sed utinam hæc Thymiamata omni momento libantes ſacrifici non æquè ac *Tabaco* infenſi ægrotarent, ipſique quoque catharris, cephaleà, odontalgiâ &c. vexarentur, nec aſſiduè potando per reciproca pocula illius beneficia prohiberent. Quibus quantiſque paucis retrò annis laudibus novatorum Principes fabarum *Kaffee* foliorumque *Theæ* potus in conſervandâ reſtituendâque ſanitate extulerint, lippis tonſoribuſque notum eſt; aſt eventus nequaquam reſpondit, immodicèque potitantes ſubindè inflationis, appetitus proſtrati, imò tremoris paralyſiſque pœnas luunt. Atqui hæc cum cæteris propè tranſiere, jam nova rerum facies, jam alia artium rapax capaxque Apollinis proſapia; aliud jam à diligentiſſimis luxuriæ medicæ interpretibus in maximo habetur prætio; novi denuò ſuper vetus mundi theatrum hiſtriones haud dudum novum quid in ſcenam medicam produxerunt, quo quaſi cuniculo ſuffoſſum antiquiſſimum cardiacarum propugnaculum, maximo ſeplaſiariorum detrimento, ſubverterunt, eorumque ſpolia prædati ſunt.

De Potu Kaffee & Theæ.

Vul-

vulgò *Pedra-Porco* seu petram porci, id est, calculum suis, præpotentem hunc arietem audacisque naturæ miraculum nominant: nec refert quod, ut splendidius venundetur, illum maximis expensis à distantissimis exportari regionibus deprædicant, quoniam ut hæc compenset, emptorem suum illicò inconsultoque Paracelso Adeptorum albo inserit, datque copiam paucissima lapidis soluta grana magno auri argentique pondere vendendi. Hic siquidem Lapis, cum res in cardine & mors præ foribus sit, ne quicquam intentatum relinquatur, secundum venerandum axioma: *Præstat anceps remedium experiri, quam ægrum Libitinæ hiantibus faucibus absorbendum relinquere;* ultima salutis anchora pro ditioribus, magno medicamentorum apparatu jam fessis, censetur, instarque exoleti perlati jam extremi apparatus morborumque parergi locum obtinet. Sed an eventu istis magis prospero, his hominum levitates in sinum ridentibus Adeptis (quibus benignâ conniventiâ præsidio sunt quidam Medici) dijudicandum trado. Hanc meam de hoc Lapide sententiam haud ita pridem suo quoque, de lautâ ejus infusione sudare nequeuntium extremâ anxietate viriumque dispersione, testimonio mihi confirmabat, non infimus, quidam hujus urbis Practicus. De Pedra-Porco.

Elixir Anglicanum vulgo *Salutis*, nimirum si cacando salus acquiratur; Famosissimum nuper Parisiis & humoristis tremendum, *Antifebrile Anglicanum;* Inconcinnus maximaque parte ex insipidis calcibus compostus *Comitissæ* vel *Myladi de Kent* satis celeber hodiè, nec minus nugax *Pulvisculus;* de quo nuper orta inter Medicum & Seplasiarium lis sic componebatur, ut ejus granum, quod huc usque assi, & consequenter unciam 24^{or} florenis vendiderat myropola, in fu- Elixir. Salutis Pulvis Comitissæ de Kent. Balz. Leucotelli. Lap. de Goâ.

futuro tantum octo solidis seu 48. assibus venderet. Quod si hic Medicus hodiè æquè promptè annonam laxare posset, procul omni dubio à pauperibus magnus Patriæ à fame liberator salutaretur. Ridiculum *Leucotelli Balsamum*; à partu adhuc rubentes, de *Goâ Lapis*, & *Acmellæ Indicæ* Spiritus Lithontripticus, cæteraque novatorum idola præcedentis exercitus, (ducibus pedis pollice miraculosè lienosos *sanante S^to^ Pyrrho*, *Scrophulas* manus digitis septimo fœtu masculino, (de Regibus autem quibusdam Christianis mihi longè alia mens est) de quorum miraculosâ nec in Rege Francisco apud Hispanos captivo cessante per contactum sanatione extat hoc cujusdam Galli Epigramma.

Miraculosa Lienosorum & Scrophul. curatio.

Hispanos inter sanat Rex Chæradas, estque
Captivus superis gratus ut ante fuit.
Indicio tali, Regum Sanctissime, qui te
Arcent, invisos suspicor esse Deo.)

terga claudunt. Dum illi progrediuntur, gradum hic sisto, sat mirari nequiens, quo pacto multa absurda & vanissima, si saltem nova, à multis opinione vulgi haud infimi subsellii Medicis magnificè admodum habeantur, ægrisque præ aliis commendentur, quamvis illi ipsi à veteratoribus propolis vel avaris myropolis, dulcissimoque lucello inhiantibus S^ti^ *Pedro-Porco* mystagogis, miserè naso suspendantur adunco.

Dum de his chartulis typographo tradendis cogito; ecce novum iterum prodit in orbem medicum pharmacum, quod *Fabam Ignatii*, quia fabæ figuram imitatur, indigitant. Ex hujus (instar nucis vomicæ corneæ) rasuræ tribus quatuorve granis tincturam Aq. Card. B. eliciunt: hanc ægrotanti propinant absorben-

dam,

dam, qui mox quoque post salutarem hunc haustulum in magnos cum levamine sudores resolvatur. Sic ferunt. Quod si hæc vera sint, actum est cum *Pedra-Porco*, subvereorque ne ejus possessores (si per eam huc usque acquisitus census, non fermè æquiparat capitalem, quam pro eâ erogarunt summam) sint passuri damnum, atque *Petra-Porci* ferculo inclusa, in sanctuario penes alios vietos emeritosque Medicinæ divos locetur. Nihil etiam stabile vel immutabile in rebus humanis, quoniam dum inter imprimendum ordo ad hancce paginam Typographo tradendam venerat, mihi nuntietur, quod Anacardiformis hujus *Fabæ* æstimatio & pretium denuò dimidio remissum sit: ita ut quæ præterito vere ducato aureo seu quinque florenis vendebatur, jam hoc autumno, ipsis Kalendis Septembris 1699, tantum imperiali sive 50. stuveris, veneat. De Faba Ignatii.

Ad leniendos dolores (*somnus enim dulce dolorum levamen*) in hunc usque diem procul dubio convenientissimo hypnotico, quocunque modo præparato vel potius crudo *Opio*, à laudante nuper novatore pauxillum emolumenti accessit. Panem enim famelicis, opium cruciatibus tortis commendare: quid aliud sodes quam æthiopem dealbare. Fatendum tamen, omnia remedia quantumvis optima, (præsertim inter illa monarcham Opium) esse manum Dei, sed gladium in manu temerarii bardique. Corticis Peruvianæ *Kinæ Kinæ* fama per æthera volavit, ac inter detecta hoc sæculo ad febres auxilia etiamnum primas tenet, ab ipsisque novitatis inimicis colitur, & licet à mordacissimis convitiatoribus, qui aliud nihil, nisi quod ipsi faciant detegantque, rectum putent, convellatur, recidivarumque stigma ejus bonæ famæ inuratur, bruta solum hæc sunt è pelvi fulgura: ipsi enim illi, qui palam *K. Kinam* De Opio. De Kina Kinæ.

contemnunt, clam suis præbent ægris, propriâ conscientiâ convicti, nullum melius huc usque in foro medico ad febres intermittentes innotuisse remedium. Sed rivis hisce clausis ad alia pergerem, nisi generalis vanitatis ectypi pedissequa particularis saltem levem sui adumbrationem etiam ardenter efflagitaret. Aliorum igitur mysteriorum concupiscens per patens hujus sacrarii introeat ostium, lustretque mecum, quos præter hæc suprema Medicorum vulgus numina colat; penates scilicet tutelares singuloque individuo præstites auxiliaresque Deos, inexhaustosque specialium fontes exploret curiosus. Sed in antecessum de integris nationibus pauculum. Itali pro nationis more, ut in cæteris omnibus, sic in materiâ medica nil moderati habent & in absurdis excellunt. Germani præprimis, quod Chymicorum furnuli excludunt, magni faciunt, & quoniam apud ipsos maxima consuetudinis vis est, plurium à majoribus receptarum magnarum Compositionum, & operosissimorum Præparatorum inani ostentatione & titulis superbiunt. Omnia, præter Phlebotomiam & Clysteres, Galli parvi pendunt. Germanis Angli in pompâ medicâ ferè approxinantur.

De omnibus aliquid præferunt nostrates, cuique hic sua est curta suppellex, & quisque suum sibi eligit, deprædicat, servatque probatissimum. Hic semper & omnibus *insulsam Antimonii calcem*, vulgò *Diaphoreticum*, vel *Cancrorum lapillorum pulverem*, omnigenæ formæ fasciis involutum, præscribit. En inter infinita similia specimen, in hoc nugacissimo pariter ac in quâdam civitate celeberrimo (vivente opinionum Heroe præscriptore) pulvisculo.

℞. Ocul. Cancr. pulv. gr. XXIV. Ant. diaphor.
Gr. XVI. F. Pulvis pro duabus Dosibus.

Ille

Ille omnis generis *Salium Volatilium* assiduus est commendator. *Jalappam* alter plurimi pendit. Huic *Lac*, præcipuè *Ebutyratum*, sacrum est. A' plurimis solum *Chymicalium pyxides* in prætio habentur. Quendam quondam novi, cui *Lumbrici terrestres* exsiccati, tam in substantiâ, quam in decoctis, magnum essent mysterium. Quibusdam *Sal Armoniacum*, aliis *Rob Sambuci*, *Diascord. Fr. Crocus*, *Opium*, *Mercurius dulcis*, *Gummi Ammoniacum &c.* suarum receptarum (uti dicunt) basis est. Multi *Acidum* commendant, plures damnant; idem fit cum *Kaffee* & *Theæ* infusionibus. Maximos artifices sese putant alii cum ex industriâ *absurdissima* præscribant.

Pars non nisi *magno* apparatu *conatuque comparabilia* (V. Gr. *Decocta*) suis propinat ægris. Fastidit hæc pars altera, præbendo *tenui apparatu* levissimoque negotio *parabilia* secundum regulam, *quo simplicius, eo melius*; ut *Mixturulas*, *Pulvisculos*, *&c.* Memini famosum olim Medicum Judæum cujuscunque ætatis vel sexus ægrotanti semper tria propemodum eadem medicamenta, *Mixturam* scil. *Linimentum* & *Linctum*, præscripsisse. Conspurcat tandem Receptarum compilator suis inconcinnis integrum chartæ folium, redarguitur denuò ab uno callopodio contento. Sequentia, hodiè quibusdam totius Hollandiæ celebribus practicis usitatiora, sed infrequentiora, nec ubivis obvia sunt.

℞. Terr. Irland. ʒij.
Succ. præparati ʒj.
Asæ fætidæ ʒß.
Caphuræ.
Myrrh.
Vitr. Martis.

 Sal.

Sal. Volat. C. Cerv.
Croci Or.
Extr. Hell. Nigr. an. ℈j.
Tart. Vitr. ℈ß.
G. Galb. in Spir. Vin. diſſoluti ℈ß.
F. Pill. ad magn. piſi minor.

℞. Aq. Meliſſ. Samb. an. ℥ij.
Menth. Fœnic. an. ℥j.
C. Cerv. Præparat. Cinabar. Antimon.
Succin. Præparat. an. ℈ij.
Sal. Prunell. ℈j. Bezoard. Min. ℈ß.
Tinct. Chalib. ʒvj.
Antifebril.
Contrayerv. an. ʒij.
Conchenill. Antimon.
Croci. an. ʒj.
Sp. Cochlear. ʒß.
Sal. Ammoniac. ʒj.
Syr. Papav. Errat. ʒij.
M. F. Miſtura.

℞. Tinct. Conchenill.
Winteran.
Croci. Granor. Kermes.
Antifebril. an. ʒij.
Opii. ʒj.
Elix. Vitæ.
Salutis an. ʒiij.
Spir. Volat. C. Cervi ℈iv.
Ol. Menth. gt. viij.
M. D. in Phiolâ.

℞. Terr. Irland.
Pulv. Contrayerv. an. ʒj.
Ariſtoloch. Long.
Crem. Diaphoretic.

Che-

Chelar. Cancr. Cinabar. Antimon.
Antihect. Poter. an. ʒß.
Cinabar. Nativ.
Mercur. dulc.
Carn. Viperin. an. ℈j.
Croci. ℈ß.
Ol. Mac. Still. gr. vj.
F. Pulvis in 8. dos. æqual. dividendus.

℞. R. Enul. Camp. Angelic.
Galang. Zedoar.
Curcum. Rub. Tinct. an. ʒjß.
Contrayerv. ʒj.
Sal. Tartar. Sperm. ceti, Conchenill. an. ʒß.
Fl. Croci. ℈j.
Chalyb. Præparat. ʒijß.
R. Jalapp. Rhei an. ʒij.
F. Senn. mundat. ℥ß.
Incis. & contus F. Species pro vin. medicat.

℞. Fol. Senn. mundat.
Rhei elect. an. ʒjß.
Passul. minor. ℥ß.
Sem. Anis. Fœnic. an. ℈ß.
Croci, Macis. Sal. Tart. an. gr. vj.
Coq. in s. q. Aq. pur. in Colat. diss.
Spec. Diacartham. Diaturb.
Pulv. Jalapp. an. ℈ß.
Aq. Cinnamomii ʒj.
Rob. Sambuc. ʒjß.
M. F. Haustus.

Sed neque hæc, simpliciorem methodum amantibus arrident, quibusdam horum, in foro medico advenis, indigenos, ut notissimos, longè præferentes.

Quoniam de decantatissimo hodiè Salutis Elixire

fiat mentio, quorundam descriptiones hic prodere fert animus.

Elixir Salutis.

℞. Spic. Nard.
Sem. Anis. Carui. Fœnic. Amom.
Dauc. Cretic.
Rad. Enul. Camp. Liquerit.
Galang. Minor.
Cort. Winteran. Aurant.
Succ. Liquerit.
Fol. Dictam. Cretic. an. ℥ß.
Senn. mundat. ℥ij.
Rhabarbar. ℥j.
Rad. Jalapp. ℥ijß.

Incis & contus. infundantur in Sp. Vin. St. 1. vel pint. 4or.

Hujus gustus parum ab vulgò venali Amstelodamensi differt.

℞. Rad. Enul. Camp.
Liquerit. ras. an. ℥j.
Imperator.
Calam. Aromat. an. ℥ß.
Sem. Anis. Fœnic. an. ℥j.
Coriandr. Petroselin. Carui. an. ℥ß.
Bacc. Juniperi ℥j.
Cort. Arant. exterior. ℨij.
Fol. Senn. mundat. ℥ijß.
Rhei lect. ℨj.
Croc. Gallici. ℨiij.
Passul. minor ℥viij.
Spir. Juniper. pint. v.

Hæc contusa conquassataque in balneo saltem. 24. horas macerentur, filtrentur, usuique serventur.

Hoc Elixir magnâ copiâ vendit fabricator, etiamsi ad exemplum Agyrtæ Angli, simul cum lagenulâ non vendat libellum de viribus ejus.

Se-

Sequitur alia formula, quam alio ſpecifico cum poſſeſſore permutavi.

℞. Prunor. Gallic. Paſſul. major.
Thamarindor. an. ℥iv.
Fol. Senn. mundat. ℥ij.
Rad. Angelic. Contrayerv.
Cort. Winteran. an. ℥ß.
Ciaoi. ʒij.
Nuc. Moſchat. Mac. Garyoph. Croci. an. ʒj.
Sem. Aniſ. ℥iij.
Fœnic. Cardam. min. Carui. an. ℥ß.
Rhei electi. ℥j.
Jalappæ ℥iij. Salis Tartari. ʒij.

F. horum Pulvis groſſus, duabus Stoopis, ſeu octo pintis Spiritus frumenti ſ. a. extrahendus.

Elixir ſeu Eſſentia Salutis.
Proceſſus Quartus.

℞. Rad. Polypod. Quern.
Mechoacann. Alb. an. ℥ß.
Hellebor. Nigr. ʒj.
Turbith. Gummoſ.
Jalapp. Reſinoſ. an. ℥j.
Fol. Senn. Mundat. ʒvj.
Aſari Recent. N°. viij.
Sem. Aniſ. ℥j.
Coriandri.
Scammonii.
Cinamomi Acuti an. ℥ß.
Balz. Peruvian. ℈j.

Craſſè contuſa, infundantur calidè pr. aliquot dies, in Spir. Vini vel Frumenti Stoop. 1. vel unciis LXXX.

dein

dein cola, exprimè, & per chartam emporeticam filtra, usuique serva.

Nota. Hanc antiquissimam hujus Elixiris Compositionem antè 50. & quod excedit annos, cuidam Pharmacopœo nostrati in usu fuisse, novi, ita ut non habeat, ut de ipso quasi novo, & quidem suo invento, glorietur Agyrta Anglus, vel ipsius proxeneta, Kaffèopola Amstelodamensis.

Dosis. In parvulis & infirmis à ℈j. ad ʒij.

In adultis & robustioribus, à cochleari uno ad duo seu ab ℥ß. ad ℥j.

Sed quorsum hic tanta molimina, entiumque præter necessitatem multiplicatio? quoniam quinque ingredientia ad hoc Compostum pharmaciæ peritis abundè satisfacere queant: *Enula Campana* nempe, *Jalappa*, *succus Glycirrhisæ*, *semen Anisi*, *Spiritusque Vini vel Frumenti* sufficiunt, & omnes ad illud numeros implent; hisce color, odor, sapor, viresque Anglicanæ comparantur, dissolutâ quippe spirituoso menstruo Jalappæ Resinâ, acri-exsiccante gustu virtuteque suâ catharticâ, facilè attendenti sese prodit: nec minus manifesti sunt Helenii ac Anisi sapores. In omnibus igitur ac ad amussim quadrat potioni laxanti, quæ in phiolis obsignatis sub titulo Elixiris Salutis & Anglicanæ prostat Amstelodami, ejusmodi simplicissimum, ex 4[or] prædictis ingredientibus, mediante vini vel frumenti spiritu, Extractum.

Sed fidus tanti auxiliatoris socius, *Comitissæ*, (instar *Melchizedeki* absque parentibus vel Comitatu) Pulvisculus, hic *incognitò* minimè est transeundus: sed maximo hiatu proclamandus: idcircò

Pulvis Comitissæ. ℞. Oculor. Cancr. ʒv.
Corall. Rubr. Præparat.

Mar-

Magarit. Præparat.
Corn. Cerv. Præparat. an. ʒj.
Succin. Præparat. ʒß.
Lap. Bezoard. Min.
Troch. Viperin.
Rad. Contrayerv. an. ℈ij.
Aur. Foliat. ℈ß.
M. F. Pulvis ſubtilis.

Alio modò

℞. Chelar, (alii extremitat. ped.) Cancri. ℥ß.
Corall. R. Præp. Margar. (etiam macræ perlarum) Præp.
Corn. Cervin. Philoſ. Præp. an. ℈iv.
Lap. Bezoar. Orient. Carn. Viperinæ exſicc.
Radic Contrayervæ an. ʒß.
Succini Præparati ℈j. Ambr. griſ. gr. vj.
Foliorum Auri N°. xx.
M. & redigatur. in Alcool.

Tam magnarum & eximiarum virium atque virtutum eſt mirabilis hic Pulvis, ut ſive quis grana quinque maximâ cum circumſpectione aſſumat, ſive unciam integram negligenter ſimul devoret, perindè ſit, atque res in idem redeat. ô Catholicon, ô egregium Pulverem, ô Pan-Pharmacum! Alterum ſanè opinionum Heroum Myropolarumque Unicornu & Bezahar.

Jam inſciè recluſum Arcanorum penetravi hortum, quo me vertam neſcius. Silentii enim leges propter Myſtarum commodum ſubſcribere, mihi nefas; (licet me non lateat tritum axioma, quod idem illud, quod in re medicâ ſemel divulgatur brevi deſpicitur, & ad excellentiſſimi & famoſiſſimi cujuſvis remedii exauctorationem & contemptum ſufficere, *imprimatur.)* Invita in apricum producere flagro. Nec refert quanti

sint mei conatus momenti, si saltem ulli unquam specificis litaturo tantillum emolumenti indè eveniat.

Sic febricitantes multos præcipuè quartanarios, *mandibularum lucii tostarum pulvere* ad ℥j. vel ℈ij. cum vino sumpto, per quendam agyrtam, magnum prætexentem secretum, novi curatos. Ad tertianas haud minoris profectò valoris, sed millies probatus est, hic Riuerii, ex ʒß. Sal. Absynth. ℈j. Spir. Vitrioli ℥iv. Aq. Card. b. Haustulus. Vili amuleto, ex *Hederâ terrestri* cum pauxillo salis & aceti contusâ & carpis applicata, omnes intermittentibus laborantes, fausto plerumque eventu, curabat quidam plebejus. Catameniorum æstum sufflaminatum, ferè semper & citissimè à quâdam Medicastrâ novi proritatum, *per Tincturam sanguineam*, mediante vino, vel ejus spiritu, vel cerevisiâ antiquâ & generosiori, *ex* recenter *menstruatarum indusiis* calidè extractam & epotam. Alius multoties *glutinoso ex Limacibus humore cum radicum Consol. Maj. pulpâ*, fausto Apolline inveteratas pertinacissimasque tusses tabemque curavit. Vidi qui immani dolore cruciato *Odontalgiaco* juberet *sinistram vertici imponere*, & momento quasi fascino sedabatur dolor. Idem rusticus quidam unico *urticæ folio*, denti applicato vel dolentis lateris auri intruso, efficiebat. *Oleum ex Baccis Sambuci* quibusdam pro Guttâ Rosaceâ magnum est secretum. Sequens famosi quondam *Burri* ad idem non est contemnendum.

Specificica quædam recensentur.

℞. Sach. Saturni. ℥iij.
Ung. Pomat. ʒx. MS.

Eventu satis prospero quidam magni nominis Medicus Hemoptoïcis, Extabescentibus, alvique nimio fluore laborantibus, semper vinum rubro-nigricans Illicenicum (vulgò Alicantse tint) promiscuè præscribebat. Ne

exul-

exulceratæ Variolæ nimis alta inprimerent vestigia, cuidam hoc linimentum instar magni erat thesauri.

℞. Sach. Saturni ʒj.
Ol. Amig. d. r. exp. ℥j. MS.

Probatissimus hic ad stranguriam est pulvisculus;

℞. R. Liquer. ras. ʒiß. Saxifrag. ʒj. Oc. Cancr. Nuc. Moschat. an. ʒß.
F. Pulvis pro 4^or dosibus.

Hæc haud infimi subsellii Practici ad Nephritidem pilularis massa, vel potius ex hac pilulæ in ejus solum ædibus prostabant.

℞. Gum Cerasini. ʒß.
Succ. Liquerit. depurat. & denuo inspissat. ʒj.
Oc. 69. Pulverisat. ℈ij.
Ther. Venet. ʒiß. Laud. Opiat. gr. xv.
Balz. Peruvian. ℈j. MS. F. Pil. N°. LX.

Alterius non minoris famæ ac eidem affectui medentes sunt.

℞. Ther. Venet. ℥ß. Pulv. Oc. 69. ʒij.
Balz. Copaiv. ʒj. Ol. Succ. gr. xxx.
Laud. Opiati gr. xvi.
M. F. Pill. magn. pisi minoris.

Sequens ad idem Collectio decies millies Seplasiariorum mortaria resonare fecit.

℞. Rhei Electi ʒiij. Bacc. juniper. ʒv.
Cass. Fistul. ℥ß. Liquerit. ras. ʒvj.
Agaric. alb. & levis. ʒj.
Lap. Judaici. Z. Ziberis. Rad. Galang. min. an. ℥ß.
Mithridat. Damocr. ʒiij. Macis. ℈j.

Grosse contusa infundantur in Spir. Vin. Rhenani pintis duabus. Apoplecticis, uti & catharrosis, quidam indubitatam opem ferre solebat, Calcis vivæ & Euphorbii pulverisati misturâ sub naso tenta. Hoc ad infan-

tum Terminos seu motus Epilepticos cuidam celeberrimo fuit specificum.

℞. Rad. Pæoniæ Irid. flor. an. ℥ij.
Croci gr. xxiv^or. Sach. Penidiat. ℥ß.

F. cum s. q. Spiritus fl. Tiliæ molle Electuarium, bis terve de die, ad pisi magnitudinem præbendum.

Hæc magni nominis, ac tam interni quam externi usus, *Leucotelli Balzami* formula nuper ex aliâ Provinciâ mihi pro magno secreto missa est.

℞. Cer. Citrin. ℥xvj.
Ol. Olivar. ℔iij.
Ther. Ven. cum Aq. Ros. lot. ℥xij.
Balz. Peruvian. ℥ij.
Vini canarin. ℥x.
Santal. Rubr. ℥j. MS.

Unico resolvente emollienteque Cataplasmate, cujus basis erat Fæx Vini, (vulgò 't Pantje) Magister Cornelius Jispensis; Vitriolo albo pluviâ soluto, Magister Feyus Oorschotanus, quasi miracula fecerunt. Ejusdem farinæ novi alium, perpaucissimis, vixque nomine dignis remediis celeberrimum. Tantoperè à Novatoribus neglectis ac contemptis frictionibus, & mediante Linimento ex axungiâ canis vel felis cum Ol. Laurino, adhuc felici eventu paralyticis membris medetur quidam in vicinia hujus oppidi rusticus. Cum Linimento ex catellis, ranis, lumbricis terrestribus, mediante oleo olivarum & vino cocto, anteà, quasi miracula edidit alter. Omnis generis plagas ac ulcera, hoc unico quidam felicissimè curat, obliquè ac lividè successus aspectantibus Chirurgis.

℞. Ol. Rosar. ℥xij.
Mucag. rad. consolid. maj. Pulv. Ceruss. an. ℥vj.

Cer.

Cer. Alb. Lytharg. aur. Lap. Calam. an. ℥iij.
F. Unguentum.

Hic Balzamus est panacæaque Magistri, quondam à bajulante pixidibus phiolisque refertum canistrum cane, famosissimi, Martini Wildenboer:

℞. Ung. Altheæ.
Ol. Laurin. Chamomill. Hyperic. Rosati,
Vulpini Trifol. odorati an. ℥iij.
Therebinth. ℥vj. Petr. Spic. an. ℥ix.
Nigellæ ʒvj. MS.

Suis lumbifragâ Venere enervatis, ex eadem Tribu venereis fratribus, hoc quondam Apellæ Medici Amstelod. *Roccomoræ* præsens probatissimumque erat remedium.

℞. Consf. rad. Ering. Satyr. mar. an. ℥j.
Cort. Arant. condit. ʒvj. Nuc. jugl. cond. No. 1.
Confect. Alcherm. ℥ß.
Ambr. gris. ℈j. Moschi ℈ß.
Cum Syr. cond. Citr. F. Opiatum molle.

Quod sequitur sub titulo Stomachalis Conditi, ab extimæ urbis regionis incolis, millies ex uno pharmacopolio ablatum est.

℞. El. Hier. Picr. ʒvj. Rob. Ribes. ʒiij.
Sp. Diacartham. Crem. Tartari. an. ʒß.
Diagrid. ℈ß. Ol. Sulph. P. Camp. gr. x.
M. F. Conditum.

Paratu facillimum, nec propter argentum vivum, ut ferè reliqua omnia, formidandum, hoc magni Nosocomii Parisiensis ad omnigenam Scabiem Unguentum parile non habet.

℞. Sulph. Pulverisat. ℔ß.
Salis culinar. Saponis nigr. an. ℥j.
Aristoloch. Fabac. pulv. ℥ß.

Ol. Laurin. ℥iij.
Aceti Vin. cois ℥v.
Butyr. veter. rancid. ℔j. Ol. Olivar. q. ſ.
F. terendo ſ. a. Unguentum.

Ex Maſtich. Myrrh. Oliban. Succin. &c. mediante Spir. Vin. Rectificato Diſtillatum; olim. Sp. Matrical. Burri indigitatus, ſummo jure (quod expertis innoteſcit) ſummam laudem meretur. Hoc ſimplici Sparadrapo, inveteratiſſimas ad deſperatas Cacoëthes, præcipuè in tibiis, vidi brevi curatas.

℞. Empl. Diapompholig. ℥ij. Griſei ℥j.
Defenſiv. Vig.
Ung. Alb. Caphurat. an. ℥ß. Caphur. ℈j. MS.
Hæc Tabellæ ad infantum adultorumque lumbricos ſunt clariſſimæ.

℞. Mercurii Dulc. gr. xxiv. Diagrid. gr. xij.
F. Pulvis dividend. in 6. doſes æqual.
Unaquaque cum paſtæ ex Sach. pan. albiſſ. ℥jß. & mucilag. Gum. Tragacanth. Aq. Roſ. Extract. duarum dragmarum bolo incorporanda.

Duo ſequentia ad Oculorum (& quidem præcipuè ad Suffuſionem) affectus remedia, poſſeſſori Oculario celebri ac expertiſſimo, etiam jamnum opes ac famam conciliant.

1 ℞. Aloes pulv. ℈j. Tut. præp. ʒß. Camph. gr. vj.
Sarcocoll. ℈ß. Vitr. Alb. grij. Mel. Roſat. ℥ß.
Sach. Canth. ʒß. Aq. Chelidon. ℥ijs.
Spir. Vini. ʒij. Album. unius Ovi ad duritiem coctum.
Poſt levem per noctem digeſtionem colentur, filtrentur, & ter quaterve de die guttæ aliquot cum ſpongiâ oculis inſtillentur.

2 ℞. Sach.

2 ℞. Sach. Perlati ʒj. Canth. Alb. Magister. Tutiæ an. ʒß.
Vitr. Alb. gr jß. Camph. gr iij.

F. pulvis subtilissimus cujus insletur ter quaterve de die parumper per calamum in oculum.

Magnus parvulorum Medicaster, Vomitu, Atrophiâ, Diarrhæâ, & Tussi languentes, simplicissimis hisce feliciter restituebat. Ex Mastichis Granulis electis Scutum, Nucis Moschatæ oleo expresso oblinitum, eorum ventriculo applicabat. Sitientibus Ptisanam ex hord. integro & parum liquerit. cum Julapio Rosaceo & Corall. Rubr. Præp. mixtam propinabat. Ad inflammatas vel excoriatas Papillas, hoc remedio nil suprà,

℞. Ol. Amigd. d. rec. expr. e. gr. ℥j.

Assiduè teratur in mortario, vel scutulâ plumbeâ, pistillo plumbeo, donec post unius seu alterius horæ laborem, fluidum ac clarum oleum in spissum ac cæruleum sit mutatum Unguentum.

Nec ad earum fissuras sequenti:

℞. Succ. Acaciæ ℈j. solvatur in *unciâ semisse* Mellis Rosacei, ac penicillo applicetur.

Capsularum omnis prætii myriadas, sequenti ad Herpetem Unguento refertas, quotannis civibus ac exteris vendebat Scabinus ac Pharmacopœus Hagiensis veteranus, ante 23. annos meus Magister.

℞. Grandin. Plumbei minimi.
Aq. Fortis an. ℔j.

Hujus in calcem versi edulcorati ac exsiccati.
Plumbi ℥iv. Cerusf. panis ℥ij.
Præcipitati albi ℥j.
Axung. Porcin. ℔jß.
Balz. Peruvian. Ol. Lign. Rhod.
Rosei coloris terr. (Belg. **Roosjes-Rood.**)

Q. pro

Q. pro grato odore ac colore ſufficiat.

Subindè poſt initum de penſione contractum, magnatum infantulis ſimul hiſce internis medicinam faciebat.

℞. Rad. Graminis ʒvj Liquerit. ℥ß.
Rhei elect. ℈ij. flor. Calend. mß.
Fol. Menth. p. ij.
F. Puppa.

Manè *Lavamento, ex Aquâ Mercuriali, Albis Rharis Trochiſcis mixtâ*, cruſtulas rigabat. Lactentis matrem vel nutricem, ſemel hebdomatim, *Infuſione Rhabarbari* everrebat, & ſic citò tutò ac jucundè fœdam hanc labem curabat. Ab jugiter extremo periculo continuante, cæteraque remedia reſpuente, narium hemorrhagiâ, exſangues & ſyncopticos, per celeberrimum hujus Academiæ Profeſſorem & Practicum, hiſce remediis vidi curatos.

℞. Vitriol. alb. Aluminis,
Nitri an. ʒij.

Diſſolvantur in aq. Plant. ℥vj. Roſar. ℥iij. Acet. diſt. ℥ij. M. F. Fomentum.

Quocum tempora, aures, frons, cervix &c. continuò irrigari debeant, ac eo madentes ex ſtuppâ turundines naribus intrudi. Interim bibat ſequens Julapium.

℞. Aq. Cichor. Roſar. an. ℥vj.
Syr. de moris ℥ij. Sp. Vitriol. ad gratum acorem.

Ac ad præcautionem per aliquot dies nihil aliud, quam ℞. Ribeſ. Rubr. mundat. ℔ iß. Contuſ. coquantur in Pluv. ad pint. ɪvᵒʳ cui adde Ol. Vitrioli ʒß. MS.

Ad idem, hoc pridem non obſcuri Amſtelod. Practici erat ſecretum ℞. Bol. Vulgar. pulv. q. ſ. album. unius ovi, miſceantur frontique imponantur. Bibat etiam ſequens.

℞. Aq.

℞. Aq. Plantag. ℥iiij. Syr. Myrtin. ʒvj.
Sp. Vitriol. q. s. ad acorem.

Omnibus tamen aliis, in ſanguine confeſtim ſiſtendo, palmam præripit famoſiſſimus ex Alumine, Vitriolo, ejuſque phlegmate & oleo, *liquor Stypticus, ſeu Anchora Sauciatorum Webberi.*

Dum hæc ſcribo jam ipſis Kalendis Auguſti A. 1699. mihi nuntiatur Dordraco, de Rulando ibidem redivivo, per pauciſſima quædam Antimoniata mirabilia peragente.

Duplex, pauperum ſcil. & divitum, Vinum K. Kinatum, quod Lutetiæ Regis nomine conficitur, ac ut præſens febribus remedium venditur, nec alibi inutile fore reor. De K. Kinatis Clyſteribus, quanquam quibuſdam ſint inſtar magni ſecreti, certi mihi nil conſtat. Nec magis de putido cujuſdam ex ore fœtenti conſilio: ſcil. *ut ſi ſeſe brevi vellet curatum ſubindè ore patulo virulentos fœtidiſſimæ latrinæ exhalationes hauriret,*

Tandem ut abigatur ſqualidi præcedentis conſilii fœtor, colophonis loco, ſuaviſſimè olens Regiumque hoc, nec ubivis obvium Compoſitum, (Aaronico profectò, ſi tranſlatores non hallucinentur, multis paraſangis ſuperius, quippè quod ſolum ex Cinamomo, Calamo, Caſſiâ, Mirrhâ ac Olivarum oleo fuit) præcedentibus ſpecificis addam.

Deſcriptio, Sacræ inunctioni Maximorumque Regum Coronationi inſervientis, Olei.

Oleum inunctionis ſacræ.

℞. Ol. recent. & fragrantiſſ. fl. Jaſmini & florum Arantiarum, Lign. Rhodii genuini an ℥vj.
Cinamomi ʒij.
Flor. Benzoin. albiſſ. ℥j. Ambr. Griſ. ℥ß.
Moſchi. ʒij. Zibethi ʒj. MS.

Levigentur in porphyrite, mox super cineres tepidos in mortario & pistillo vitreo ad perfectam usque mixtionem probè agitentur, obturentur, & conserventur.

Conditura ad Regum Principumque cadavera.

Sequentibus haud ita pridem cadaver Illustrissimi Principis condierunt.

℞. Fol. Lauri, Menth. Scord. Serpill. Absinth.
Rorismarin. Majoran. Lavend. Rosf. rubr.
an M. iv.

Coquantur in aceti fortiss. ℔xij ad dimidias colatur. addend. Aluminis rubri ℔j. salis communis ℥vj. denuò ebulliant ad aluminis & salis dissolutionem, tandem adde

Aloes. Croci, Mirrhæ an. ℥iv. MS.

Ad idem

℞. Aq. Vit. Math. & Sp. Vin. Rectificati an. pint. ij.

Ad infarciendum eviſceratum cadaver requiruntur Bombic. albiss. ℔v. vel q. s.

Ad idem

Salis tosti & subtiliss. pulverisat ℔v.

Ad idem

℞. Aloes. Mirrh. Thuris, Stirac.
Mumiæ pulverisat. an. ℔ß.

Ad idem

℞. Aloes ℥vj. Myrrh. Thur. Styracis, Mumiæ an. ℥iij. Ladan. Calam. Aromatic. Aspalthi an. ℥iv. Colophoniæ, Lupinor. an. ℥v. Sem. Coriandri Cumini, Nigellæ, Fœnic. an. ℥iv. Rad. Irid. Gentian. Valerian. Arist. long. rot. an. ℥ß. Galang. Macis, Nuc. Mosch. Garyoph. Cinamomi, Z. Ziberis an. ℥ij. Croci ℥j. Rosf. rubr. Fol. Laur. Bacc. Junip. Laur. an. ℥ß. Abrotan. Scord. Menth. an ℥vj.

F. Pulvis.

Ad

Ad Idem

♃. Ol. Spic. Thereb. Lavend. Rosmar. an. ℥ij.
Balf. Peruviani, Ther. Venet. an. ℥iij.
Croci pulv. ℥j. Kaphuræ. ℥ß.
MS.

Ad Idem Sparadrapum

♃. Cer. flav. ℔xij. Resin. Pini ℔iij. Picis, Masticis, Therebinth. Ol. Junip. Lavend. Bacc. Laur. an. ℔ß. Styr. liquid. ℥iv. Petrol. flav. ℥iij. Camph. ℥j. Gum. Elem. Colophon. Thuris. Bensoin. an. ℥j. Liquefiant & misceantur.

Mixtis toral magnum linteum s. a. immergatur.

Ad Idem candelæ odoriferæ.

♃. Styrac. Calamit. Carbonum. lign. an. ℔iv.
liquid. ℔j.
Mastic. Ladani. Benzoin. an. ℔ß.
Kaphuræ ℥iij. MS.

& cum mucilag. g. Tragacanth. aq. Ros. extr. F. Massa, ex qua Candelæ longiusculæ.

Tot ac tanta pompatica tamen, ut opinor, ad unius cadaveris pollinctaram non requiruntur, paucioribus profectò, ac multò simpliciori & viliori methodo à dexterioribus corpora mortua condiri queunt. De quibus, consule *Guiberti Corpora mortua condiendi modum.* Ecce Lector ex primipilis ac gregariis aliquot delectum manipulum, quem, instar speciminis, à multò majori ac ferè 30. annorum serie, (nec anticipatâ nonnunquam pecuniâ, vel saltem meorum cum aliis reciprocatione) conscriptâ turbâ segregavi: similibus enim potiundi, olim magis ac jam, fervebat animus. Numerum auxissem, si recensionis album nimis longum me non deterreret: Receptarum enim Compilatoribus, formularum descriptionibus abhorrens hanc spartam liben-

ter trado, ac ad hos me confero, qui (ad Græcorum normam imitationemque, qui uno ore prodiderunt, remedia illa esse optima, quæ simplicissima, juxta axioma, quod fieri potest per pauca, non fieri debet per multa vel plura.

Ire per ambages, cum sint compendia rerum,
Stultitiæ summum dixeris esse gradum.)

ægrotantes magno medicamentorum apparatu onerare nolunt, ac curtissima supellectile contenti, ferè omnia sua (ut dicitur) secum portant, operosis ac sumptuosis levi negotio parabilia, ac plus salis quam sumptus habentia, præferentes; etenim artis medicæ pompa & dignitas, non tam in formularum concinnitate & elegantiâ, quam in morborum curatione cernitur. Quæ ut verum fatear, nec mihi, legitimis saltem conditionibus, displiceant. Non enim refert quam multa, sed quam bona sint, quæ præscribuntur; dexterrimi quoque artifices, paucissimis indigent instrumentis: nec varietas semper in Medicis, veluti in aliis delectat; indigenum exoticum interdum longè superat, & pompalis farrago ut plurimum magis Seplasiario quam ægro prodest: *unum vel pauco numero medicamenta, hæcque ægris congrua, laude digniora sunto pluribus, si quidem pauco numero securius satisfiat.* Hipp. l. 1. de diætâ in acut. Accedit quod audito solo cujusvis Composti necdum visi aut gustati nomine, quidam ex tempore fremant vomituriant ac impallescant, ut gelidæ videantur mortis imago. Ex quânam aliâ putes causâ? quam multiplici & multiformi Compositorum varietate, sicut vel levi morbo profligando, herbarum, radicum, seminum, florum, gummatum, mineralium &c. hor-

Pauci probè norunt quantum unica Opii granula sanguinem &c. incrassare & è contra guttula ol. Ciamomi eundem rarefacere valeat.

horrendi plerunque gustus odorisque, diversique generis medicaminum, tota, ut sic dicam, plaustra cumulatim farciminatim ac variegatim præscribunt, & variè à Pharmacopœis miscenda tribulanda & ad nauseam usque sumenda exhibent nugatores; cum olim Medicina vel amplissimo Senecæ testimonio, paucarum herbarum fuerit scientia, (nec minus hodiè in pluribus morbis pauca homogenea & efficaciora sufficiant,) quæ in tam variam & tantam alicubi medicamentorum farraginem hodiè est progressa, ut vel ad eorum conspectum vel mentionem aut odorem, vomituriant aliqui, imò verò derepentè vomant nonnulli, & nonnunquam per inferiora alvum largiter exonerent, ac si dejectorium pharmacum hausissent. E contrario deformem habitum antiquitate tuentes Lemovicenses; distorto vultu immundoque cultu excellentes Sabaudi; ut & rudes Lotharingi, præter allium & crocum, nullum noscunt pharmacum. Agrestis Germaniæ turba, unico allio est contenta. Multos inter simplices Hollandiæ rusticos invenias, qui in vitâ nullum, vel si ullum, nil aliud, quam lactis serum, vel cochleariam, viderunt medicamentum, intereà ad summam senectutem, donec hoc unico tandem (exulantibus cæteris) morbo conficiantur, contenti ac sani vivunt. Unde liquet oleum & operam perdere, qui solum exotica efflagitant & coëmunt, sumptuosa alioquin & cara, incerta, ementita, neglectis vernaculis & indigenis, vilioris prætii & securioribus. Devicto Mithridate, compositionis scheda ipsius manu exarata, in scriniolo inter res curiosissimas à Cneo Pompejo deprehensa est. Misturam istam à Pompejo minimè æstimatam aliqui memorant, quod paucissimis passimque obviis simplicibus constaret.

Simplicissima quædam remedia.

Antidotus verò multis Mithridatica fertur
Consociata modis, sed magnus scrinia Regis
Cum raperet Victor, vilem deprehendit in illis
Synthesin, & vulgata satis medicamina risit!
Bis demum rutæ folium, salis & breve granum,
Juglandesque duas, totidem cum corpore ficus:
Hæc oriente die parco conspersa Lyæo
Sumebat metuens, dederat quæ pocula tutor.

Ut suprascriptis versibus liquet, *duabus juglandibus aridis, totidem ficubus, viginti rutæ foliis*, cum *salis grano* probe contusis, compositio illa conflabatur, in lemmate vi illi adscripta, ut qui jejunus illa uteretur, à veneno totis 24. horis tutus esset.

Huic annecto stupendam ex Athenæo de *Citriis* historiam; „ Prædonibus igitur paratum theatrum ingressuris caupona quædam mulier, eorum miserata, „ utrique malum citrium edendum in viâ tradidit. „ Hi postea horrendis crudelissimisque animalibus pro„ jecti & ab aspidibus percussi, nihil denique passi „ sunt. Dubius fuit dudum sanè Princeps, atque „ militem eorum custodem si quid edissent vel bibis„ sent interrogavit. Ut verò citrium illis traditum eo„ dem die fuisse cognovit, huic postero die Citrium „ dari, illi autem nequaquam jussit. Is demum qui „ Citrium prius comederat, nihil rursus passus est, at „ ille morsus statim interiit. Ejusdem farinæ porrò de similibus infinitas plures præcedentibus possem attexere historias, ut de Cochleariâ, Salviâ, Roremarino, Majoran. Consolid. Plant. Millefol. Levistic. Cichor. Tanacet. Sambuc. Brassicâ, Sedorum generibus, &c. tanquam tot testes, prosperos morborum eventus multoties non ma-

L. III. Deipnosophist.

magis alligatos operosis ex Compositis remediis, quam vilissimis (quorumdam judicio,) Simplicibus, igitur, ut regula tenet: *Quo simplicius eo melius.* Si exemplum efflagitas Lector, agedum: inpræsentiarum, circa æquinoctium autumnale hujus anni 1699. mihi nuntiatur Bruxellis, Epidemicæ malignæ, quæ nuper ibidem, paucis hebdomadis sex millia & ultra mortalium neci dedit, & cujus aliquot vestigia & semina etiam in hac civitate (& uti ex Angliâ scribitur) quoque Londini ab oculatioribus Practicis observantur, præcipuam & unicam quasi remoram factam fuisse, cæteris omnibus frustra tentatis, quod NB, per vilissimum *succum Taraxici.* Sed brevitati studens hæc sicco pede transibo. Ne tamen quis cogitet, quod proscribendo inutiles hominesque fastidio enecantes Compositiones, nullas velim, meam de illis sententiam hic apponam. Legitima, patre ratione, matre experientia, dextrâ obstetricante arte, Composita medicamina, semper, & præsertim in morbis complicatis laudo, *abundans enim cautela quid nocet?* glandesque quasi, quæ initio praxeos in deliciis erant, in ætate maturiori negligere quid refert? At inconcinnas & ad luxum fastumque, ex sese invicem destruentibus simplicibus, congestas noxias Rapsodias, non fero. Quodnam licet Compostum unum alterumve utilissimum simplex ingrediatur, adeo frequens ejus cum aliis mistio dubiam reddit hujus singularis experientiam: ita ut nescias, à quo tandem virtus agendi emanaverit, aut in quonam principio operationis latuerit: & ut legum multitudo sæpe vitiis excusandis accommodatior est quam iisdem prohibendis, adeo ut illorum populorum status sit optimè constitutus, qui tantum paucas habent, sed quæ accuratissimè obser-

van-

vantur: sic pro immensa ista multitudine simplicium, quibus confusæ sine ordine ejusmodi Compostorum moles refertissimæ sunt, pauca *probatiora* in privatum usum eligere & ad quotidianam praxin accommodare quis vetat? In promovendis vel retardandis à peripheriâ ad centrum, vel ab hoc ad peripheriam humorum motibus, vel evacuationibus, posset auxiliorum chaos, quoad interna, & forsan ad externa, terminari: Ex. gr. Sub his quatuor signiferis cæteri gregarii facilè coëunt 1°. Catharticis nimirum: 2°. Hypnoticis: 3°. Sudoriferis: 4°. Adstringentibus. Catharseos enim vexillum Præparantia, Alterantia, Laxantia, Emeticaque sequuntur; nec immemor sui vexilli Opio duce, Narcoticorum Anodynorumque est Tribus; Calefacientia, Attenuantia, Incidentia, Reserantia, Diuretica, Menses vel Partum promoventia & Fætum vel Secundinas expellentia Carminativa & Alexipharmaca Diaphoresis jussa capessere, quis non videt?

Quatuor remediorum Principes.

Postrema ac tarda Refrigerantium, Repellentium, Incrassantium, ac Stipantium acies, austerum astrictumque suum ducem sectatur. Tandem mixtæ ex sic dictis Specificis, ut Cephalicis, Thoracicis, Cardiacis, Splenicis, Uterinis, Lithontripticis, Arthriticis, Febrifugis, &c. vel Occultarum Qualitatum remediis, copiæ terga claudunt. Emollientia, Maturantia, Emplastica, Vulneraria, Pus, Carnem, Callum, Lac & Semen Generantia, Cicatrisantia, Sternutatoria, Apophlegmatismi, Vesicantia, Caustica &c. quasi lictores Castrenses ad latera & circumvagantur. Atque sic penè innumerabilis (quem tanto rerum tumore ad posteros pertulerat fama) exercitus, ad quatuor prætorianas cohortes, vel potius ad earum Duces restringitur ac reformatur. Tanta tamen integrarum phalan-

langum exauctoratio illis, qui multitudine varietateque delectantur, neutiquam arridet, hanc enim plurium malorum syrmata protrahere conqueruntur, & probare conantur: tam contractam Pharmaciam, duorum triumve mensium spatio memoriæ mandatam, Materiæ Medicæ incuriam & pigritiæ pabulum ignavissimis mulo-medicis subministrare, affirmant, & licet tales ac tanti, eodem modo, iisdemque (absque ullo jam amplius Autorum inspectione) in omnibus, remediis, medentes opinionum Heroës ab vulgo pro promptis ac expertis habeantur, ab his tamen oculatioribus, cachinnis ac derisibus digni censentur. Sed hæ, ut plures similes, levi negotio possent componi lites, si litigatores duntaxat tantum ad charitatem quantum ad livorem conferrent, nec mutabiles ab uno extremo ad aliud profusè transilirent. Quis enim rationis compos meam medicamentorum in quatuor classes divisionem, cum grano salis intellectam, quasi Empiricæ fomitem criminabitur? Nullus opinor, qui videt, quod cuicunque uno ex his quatuor Imperatoribus auxilio indigenti liberum sit, tot ac tantos veteranos vel tyrones, licet antea exauctoratos, conscribere milites, quales quantos voluerit. Absit ut murcidis vel bibaculis suggereret, unum alterumve memoriæ mandatum remedium ad singulos, Agyrtis tria ad omnes morbos sufficere. Denique jam commendatæ magisque necessariæ, etiamsi per se satis commendabili utrique Pharmaciæ, tanquam primariæ Medicinæ parti, ut indefesse inhiet Tyro, ipse ipsi autor sum: Medicum enim rationalem & Principum Medicorum doctrinâ inunctum, in pharmaceuticâ arte debere esse instructum, nullis it inficias. Nec enim remedia præscribere poterit, nisi medicamentorum facultates in numerato habeat. Nihil

Tam abbreviatus remediorum numerus non omnibus arridet.

Sano sensu tamen quartanarius remediorum numerus ad omnes morbos sufficere posset.

enim Medicum è pelagi ſinu, aut abyſſi profundo eruitur, nec ab aëre quicquam ad ima nutat, delabiturque, quo non luxuriat hoc Sanitatis contrà morbos Armamentarium. Ex eo ſiquidem tot medicamenta depromuntur, quibus humani corporis hoſtes morbi cauſæ & ſymptomata oppugnantur expugnanturque, ſeu à dietæ vitio exoriantur, ſeu extrinſecus adveniant, idque vel â causâ manifeſtâ ut intemperie & ſolutione continui, vel à causâ latente, vel cujuſcunque alterius novelli nominis volueris.

Hinc patet quam malè ſibi conſulant, qui inanibus curioſitatibus & ſpeculationibus ſophiſticiſque diſputatiunculis tempus inutiliter terendo, quarundam nugarum fiant idololatræ, ac propter Pharmaciæ neglectum, nunquam in medicos idoneos evadant; & licet aliorum in his intentio curioſitatem ſcilic. vel lucrum reſpiciat, nobis nullus alius præter hominis ſanitatem finis eſt, nullatenus ejuſmodi mendicante adulatione, (*Curioſos ſolos conſidero, è luto meliori fictos, ſapientiæ alumnos, magna Reipublicæ literariæ lumina, ſpes & fulcra Patriæ, uno verbo Philoſophos,*!) egens, ſeſeque commendabilem reddens.

Reſtat ut vias, quibus Philiatri hanc ſibi vindicent & præter quas nullas novi, hic breviter indicem: experto ac dexterrimo videlicet Spagyrico Pharmacopœo, in ſuâ multæ diſtractionis Officinâ, per annos aliquot inſervire: ſeu potius, quod præſertim Exteris, & generaliter omnibus Medicinæ Studioſis expeditius, eorumque dignitati convenientius ſit, aliorum artis peritorum inſtructioni, ore & labore, ſeu ratione & re informantium, ſeſe tradere. Multæ enim publici pharmacopolii minutiæ ad futuram praxin medicam nil faciunt; uſualium præciſa cognitio,

Exhortatio ad medicinæ Tyrones.

eo-

eorundemque dextra præparatio (omiſſis de ejus differentiis ad ravim uſque diſceptationibus) præſertim requiruntur, omnibuſque numeris abſolutæ ſunt: nec opus eſt ſimplices visibiles perceptuque faciles labores & operationes ſub titulo & ſpecie Medico-Phyſicarum, longè petitis atque ad rhombum nihil facientibus nudis verbis, nimiſque exiliter netis inviſibilibuſque tricis, diſcentibus reddere difficiles intricataſque: ſufficit imò præſtat (ut jam in præcedentibus quadantenus annui) ſolum omnia ex triplici ſic dicto Regno Simplicia, iterato viſu, guſtu, olfactu, contrectatione, probè cognoſcere, eorumque nomina vireſque, tandem legitimam ac genuinam naturalem & artificialem ἀνάλυσιν, ἀναγέννησιν, ἀναλομὴν, & in Compoſita Μεταμόρφωσιν gnaviter ediſcere, laboreque improbo ſibi comparare ac in ſuccum ſanguinemque vertere. Hæc res rerumque nervos continens methodus diſcenti omne fert punctum; quod haudquaquam etſi à Platone, Epicuro, Democrito &c. excogitata ſpecioſiſque verbis contexta, ab eorum ſimiâ Euripo mobiliore antiquitatiſque pertæſo Gallo ad lubitum ſuique cerebelli captum renovata, à quibuſdam ſecundum temporis rationem millies recuſa Corpuſcularis Phyſica poterit. Ad cujus regulam tamen plurimi omnia naturæ Φαινόμενα præcisè adaptare volunt, & ſtat pro ratione voluntas: hinc multi magni ſibi videntur Oratores, ſi plurimis ſeſquipedalibus barbariſque verbis pauciſſima, imò ea dicant, quæ nec decem quidem Sybillæ intelligant, licet interea quidquid eſt in arte antiquum & ſanctum ludibrio habere non erubeſcant: adeo ut cum ſuo more philoſophandi ſeſe dudum delaſſaſſet horum aliquis, tandem conquerendo candidè fateatur, quod *externa internaque plurimorum ſimplicium*

De iis qui ſemper in omnibus & ad omnia Corpuſcularem Philoſophiam crepant.

accidentia tam intricata altèque abstrusa sint, ut ad interiora penetrandi non pateat aditus, Labyrinthique plus quam Dædalei in eorum Ἀνατομῇ *ipsi obvient;* ratio est, quia sua *ramosa etiam à ramosis differant, viscosa & terrestria diversissimam sæpius à se invicem figuram obtineant*, ita ut *ejusdem classis simplicia respuant hanc misturam, quam alia ejusdem speciei corpora haud difficulter admittant.* Sed protinus quasi dicti inscitiæque pœniteret, hanc sinceram suam confessionem retractat, palinodiamque canit inconstans, pro comperto jam habens, *hanc varietatem tam à superficie diversa, quam à figura pororum meatuumque dependere*, Quanta verba! *sic Aurum requirit salia peculiariter disposita; Argentum aquam fortem, Antimonium diversa salia, Euphorbium acida, Cuprum, Ferrum, Plumbumque cuivis ferè liquori cedunt &c.* Quasi verò horum infinitorumque similium, tempore improboque labore detectorum notitiam, non unicæ experientiæ, sed & his cerebellorum phasmatibus acceptam haberemus referendam.

Tandem ad sequens ejusdem, hodiè haud obscuri Philosophi-Medici, maximi ponderis attendite monitum, quicunque Apollineæ militiæ sacramentum dedistis: *Illud autem observatu dignissimum est, quod Medicos etiam ad majorem & certiorem medicamentorum notionem deducere potest, eorumque actiones clarius patefacere; nempe remedia agere, pro modificatione illius miscelæ salinæ terrestris. Papæ!* Quibus hæc, cum suo suorumque dogmatum commendatione, amplissimisque ad sua placita ambabus ulnis amplectentes promissis, prolata, annecto: *Hæc ubi serio examinata, ritè investigata, tandemque clarè & distinctè percepta fuerint, absque omni*

omni dubio Medicina ita tractata, artificis successu felici pedem sistet firmum ægrumque ad beatioris vitæ deducet fines. Quam magnificè! Similes suo tempore hoc scommate impetebat modestissimus Cicero: *pertæsum est levitatis, assentationum animorum, non officiis sed temporibus servientium.* Cicer. ad Qu. Fr. l. 1. Epist. 2.

Et profectò omnem posteritatis fidem superabit, quod res imaginaria, conjuncta indefesso & inexplebili novandi studio, omnem meliorem, à tot ævis ac tantis priscis Atlantibus Herculeo labore excultam expolitamque Philosophiam & Medicinam, pessum dare potuerit, ipsâ nec Theologiâ, imò nec Jurisprudentiâ, Græcisque &c. literis intactis relictis; ut nullus doctus audiat, nisi harum chimæricarum particularum turmas ac legiones aliquot, una cum strepitu materiæ subtilis, pororum, tubulorum &c. tanquam machinas bellicas, vel si mavis, sacras ignorantiæ anchoras, & nil magis quam obscurissima Veterum in Medicinâ vocabula (etsi iis opponantur) significantes, semper ad manus ac in promptu habeat, fusèque de iis multâ λογομαχία ταυτολογίᾳque garrire, argutèque disputare queat, Si defunctis aliquantula tantum de viventibus superesset notitia, proculdubio pullatus incederet universus Hippocraticorum Galenicorumque Cyclus: nam etiamsi in cudendis operibus absolutissimis ætatem triverit, nec pœnitendos inde exspectasset fructus, hodiè nihilominus, antiquâ dormiente gratiâ, cum paupere Aristotele cogeretur ire pedes. Quod facillimè ex eorum atro livore conspersis scriptis, qui nullum lapidem non movent, ut studiosam juventutem ab veteribus avertant, conjici potest; nec mirum, quia neglectâ veterum lectione, tutius suâ vetustissima (ut sæpius audivi) pro novis, & quidem suis inventis,

 tis,

tis, tradere poſſint. Sed undè jam hæ lacrumæ? Meo (ſalvo tamen aliorum) judicio, præter lucelli ambitionis ac novitatis cupedinem, ex nullo alio, quam pigritiæ fonte, ſcaturiunt hi rivuli: nimis ſiquidem operoſum eſt, tot & tantos inſpicere ac legere autores, commodius eſt ad hæc ratione temporum inſtar actionis heroicæ, habetur, illos nec viſos, nec auditos, ſpernere, & cum hujus ætatis Argis inviſibilia videre, ad viſibiliaque cæcutire. Sed inferentes mihi audire videor, quod ſaltem μάθησιος muſtricolæ calceata nova Medicina veterem ſuperet; quod concedam ſimulac mihi monſtrent, quod facultates naturales &c. res non naturales, affectus præternaturales in Microcoſmo præcisè ejus, (vel ut alii volunt) mechanicas leges ſequantur, quadrantibus pariter rurſum hiſce ad amuſſim remediorum qualitatibus: prætereà cum reverà viderim, illos de aliorum in ſuâ diſciplinâ ruditate conquerentes Mathematicos Doctores iſtis in praxi Medicâ eſſe feliciores. Sed falſum prius & poſterius, ac vana ſunt ſine viribus verba. Ipſis enim expertis Empiricis in curandis morbis longè infeliciores ſunt ſimiles scioli; exemplorum myriades hoc confirmant. Imaginariorum igitur corpuſculorum decantatiſſimam Phyſicam, ut & ſecundum quoſdam ad artem medicam requiſitiſſimam Matheſis ſcientiam, vero Medico in Praxeos abſtruſis non magis quam mendico trutinam monetariam neceſſariam eſſe, quis non videt? Prætereo ſententiam cujuſdam doctiſſimi Theologi, patriâ Rheti, qui poſt longas in Italiâ peregrinationes, indefeſſaque Mathematica ſtudia, ægerrimè ferebat, quod quidam Medici ad Matheſis præcepta medicinam facere vellent: præ omnibus eos abhorrebat, qui hanc in Metaphyſicis facerent ju-

Matheſeos fundamenta in Medicinâ practicâ parvi ponderis ſunt.

judicem, ſæpe ſequens candidè faſſus: *Bon Mathematicien, mauvais Chrétien.* Sed de his ſatis; redeo ad promptuarium medicum, ex quo prudens promus condus ignaris poſcentibus, non quæ petant, ſed quæ habere debeant, promit; maximâ ſemper, præſertim circa Vomitoria, Opiata, Catharticaque cautione, conſcius, quod hiſce de corio humano ludatur, ac idcircò præſtet in eorum defectu, quam exceſſu peccaſſe. De cæteris minus ſollicitus, levi negotio, renunciando aliorum præſcriptis, ipſe millenas omnis materiæ, formæ, & conſiſtentiæ &c. formulas (vulgo receptas) pro arbitrio conſarcinat: nec tam curat, ex quo particularum genere ſingula ſunt conflata, quam eorum effectus in humano corpore obſervat. Ita ut ipſi parum ad rhombum faciat, ſint ne calefactio, frigefactio &c. in rebus ipſis, ſive in mente noſtrà, id eſt à motu ſolâ mente comprehenſibili, vel à modo afficiendi ſenſus, tactum & guſtum, relativæ vel ſecundum gradus, ex majori vel minori motu, abundantiâ, vel penuriâ, amicitiâ vel inimicitiâ, familiaritate vel peregrinitate fictæ materiæ æthereæ; debeantne Veterum Calida, Exſiccantia, Frigida, Attrahentia, Repellentia, Corroborantia, Maligna (ſic dicta à modo afficiendi ſenſus humanos, quibus novitii Autores nomina imponunt à motu, quaſi ſic ſola mente non ſenſu aliquo ab homine perciperetur) &c. in Neotericorum, Salina, Volatilia, Aromatica, Oleoſa, Acida, Attenuantia, Aperientia, Incraſſantia, Coagulantia, Veſicantia, Terreſtria, Reſerantia, Corroſiva &c. anabaptiſari. Nequaquam, quoniam hæ verbis non mente differentes terminorum nominumque mutationes, quoad Theoriam obſcurum peræque obſcurum explicant, ad praxin verò planè ἀπροσδιόνυσοι, ſaltem fruſtraneæ ſint.

Ad

Ad enatas, per tot laborum molinima, pharmacorum formas, quibus tot tantaque volumina ſunt refertiſſima, rectè diſtinguendas; præſertim ac primò, ad ingredientium facultates, ſecundò ad ſingulorum, & quidem tam manifeſtè inter ſe repugnantium proportionem ad ſe invicem; tertiò ad Compoſti conſiſtentiam coloremque, attendendum eſt, ut exindè liquidò pateat, an ipſe autor vel tranſcriptor, conſcripta ſua unquam viderit, compoſuerit, intellexerit, necne? Nam hoc in multis veriſſimum eſſe, non paucæ intricatiſſimæ atque apud Autores Antidotarios paſſim obviæ inconcinnæ farragines, ingredientium cumulationes, & præparandi modi, evincunt, de quibus jam in præcedentibus. Aſt jam dubius hæreo, ſint ne Democriti càchinno, quam Heracliti lacrumis magis digni, hodierni opinabiles Pharmaciæ Reformatores? qui nullum lapidem non moveant, ut non ſolum Veterum, ſed & Neotericorum, publicâ Magiſtratus autoritate ſtabilita, ampliſſimiſque privilegiis munita Compoſita Medicamenta, ac ſi malè & contrà artis leges præparata eſſent, Tyronibus ſuſpecta aſpernandaque reddant, ipſis intereà Correctoribus ad propria offendicula, quæ tamen antiquis imputant, impingentibus. Ne autem gratis hæc aſſeruiſſe videar, paucula quædam breviter, ex Clariſſ. Autore Principii Viſcoſi, Ramoſi, & Terreſtris, placidæ diſquitioni ſubjicere fert animus. *Primo* Syrupi ex ſuccis acidis, ut Limonum, Granator. &c. Fragrantes, ut Violar. Julap. Roſatum, Menth. ex aquâ &c. facilius ac melius, minorique virium jacturâ, quam ex Autoris, ſecundum methodum Zwelferianam, ſacharo tabulato, componuntur modo ſequenti. ℞. Succ. vel Aq. pß. vel ℥x. Sach. panis opt. (*vulgò* Kandy Brood) ℔j. vel ℥vj. li-

Abſurdorum Compoſitorum cauſa.

Audacia quorundam non Re-ſed Deformatorum.

In quorundam compoſitiones inquiritur.

liquantur in fictili ſuper prunas, intràque horæ quadrantem F. Syr. Propter eaſdem rationes millies expertis ſequenti modo paratus Violar. Syrupus etiam magis quàm illius arridet. ℞. Florum Violarum mundat. ℥xvj. pluviæ ferventus ℥xxxx. ſeu pint. duas, extrahantur per noctem apud focum in cantharo probè clauſo. Tincturæ manè colatæ adde, Sach. pan. opt. groſſ. pulverſati ℔v ß. vel ℥LXXXVIII. liqueſcant ſine coctione in fictili, & F. Syrupus. vel. ℞. Fol. flor. Violar. q. pl. Aq. q. ſ. Infundantur tepidè per horas aliquot in terreo ſtanneove vaſe benè obturato, & percolentur, de novoque aliâ aquâ extrahantur, donec omnis tinctura planè extracta ſit: cui adde Sach. vulgaris alb. (*vulgo* witte Poeyer) q. ad debitam conſiſtentiam ſufficiat, quo liquato, coletur per cilicium & F. Syr. Alio modo ℞. Flor. Violar. q. v. Contundantur in mortario marmoreo, extrahaturque iteratis Aquæ additionibus colationibus expreſſionibuſque tinctura ſuffic. Sach. pan. contuſi. quant. in aprico inſpiſſanda. Cautelæ obſervandæ ſunt, 1°. ne coquat; 2°. ne acidum ſalſumve accedat; 3°. ne ferrum attingat. Sed 1°. ut infuſio liquefactioque in vaſis terreis vitreatis ſeu ſtanneis fiat; 2°. quod præſtet ante extractionem folia in mortario contundere, quam integra infundere; uti & 3°. per dimidium horæ quadrantis ſacharum ſuper prunas ſolvere, quam Syrupum cum quibuſdam aliquot ſeptimanas radiis ſolaribus exponere, quoniam tanto tempore idem fit quod hi meticuloſi timeant, propter imaginarium enim coloris fragrantiæque damnum alterationemque momentaneum ignis calorem reformidant, evaneſcente interim tantâ ſuperficie (patinæ ſcil.) & tamdiu hianti Phœbo expoſito Syrupo. 4°. ut æſtate ſervetur in caveâ. 5°. quoniam hic Syr.

Ee cum

cum tempore fiat fluidior, ſemper pro arbitrio addi poteſt Sach. panis contuſi quant. volueris: notetur tandem 6°. quod approximante vere novoque Syrupo, vetus ab intenſiori ſuo cæruleo colore purpuraſcat. Poſtremò addam, quod Violarum caritate hic Syrupus à Rhopopolis Myropoliſque adulteretur, vel ſequens pro ſuccedaneo ſubſtituatur: ℞. Rad. Irid. flor. albiſſ. coquantur in ſ. q. aq. communis, ſub finem addendo coloris (*vulgo* Lecmoes) q. pro grato colore, ſuffic. Colaturæ per ſubſidentiam clarificatæ, adde Sach. q. ſ. & F. Syr. Quod cum eodem Zweltero (cujus in primis vitulâ ipſum hic araſſe, nemo non videt,) Doctiſſ. Autor omnes ex calidis aromaticisque conflatas ſyruporum decoctiones primò diſtillationi vult ſubjectas, liquoreſque hos ſpirituoſos, vel etiam alias aquas ſpiritusve diſtillatos, poſtea Syrupis addere, nequaquam procedit, quoniam abſque ulteriore coctione, tunc debitam conſiſtentiam obtinere nequeant; præterea, quod hi ſpirituoſi ac oleoſi liquores deſtillati Syrupis admixti, eos fermentare & aceſcere faciant, cocti verò in auras exhalent.

Denique & hoc quoque mihi diſplicet, quod medicamine pollens Autor, poſt prænominatum Zwelferum, paſſim Olea deſtillata, Ambram, Moſchum &c. Syrupis addat; ratio eſt, quia venalia hæc olea ut plurimum Therebinthinâ, Butyro inſulſo, &c. adulterata, obtuſo ſuo ſapore rancidos reddant Syrupos, exhalante etiam per patula peſſimèque obſerata ollarum oſtia illorum ſpiritu volatili, ejusque loco accedentibus accarorum myriadibus. Improbandi igitur ſunt, ejus Syr, Caryoph. Ciaoi, Cort. Citri &c. Longè (ſalvo aliorum judicio) præſtat, ſingulis remediorum Formulis vel Doſibus, quam Compoſitionibus aſſervandis,

vandis, tam Spirituosa Volatilia immiscere. Ob easdem & plures opportuniori tempori reservandas rationes, valdè etiam ad credendum difficilis sum, hunc expertissimum quamvis Autorem cæteros suos Syrupos, præsertim ex succo Papav. Alb. vel Flor. Papav. Rheados recenti, suis præscriptis modis, unquam composuisse. Regerenti an ego vulgata his reformatis tum præferam? seu quales quomodòque paratos syrupos velim? respondeo: paucos admodum abundè (salvo doctiorum judicio) medenti sufficire, ex. gr. Syr. Violar. Limon. Papav. alb. Erratici, ex Succo Card. B. Alth. Fernel. Mel. Julapiumque Rosar. Cæterorum ex calidis aromaticisque exauctoratorum loco verò substituerem eorum (id est hujus alteriusve ingredientis pro re natâ) Infusiones, ex tempore usui necessario, ferventi pluviâ vinoque extrahendas. Postremò recentes Austerorum, Viscosorum, Tenacium, Inodorum, Insipidorumque Decoctiones, evanidis ex iis inspissatis Syrupis longè prævalere, quis non videt?

Secundò, quod sua sic dicta Antidota, ex duplo Mellis vel Sachari conficiat Autor, minimè ei propter sequentes rationes adstipulari possum: quia temporis tractu exarescant mucescantque; & consequenter desiderata fermentatio, ob humidi sufficientisque acidi defectum, suffocetur. Propter supra dictas rationes, ejus ex oleis stillatitiis aliisque fragrantibus additamenta hic iterum proscribenda sunt. Præstitisset, saltem me judice, quod hoc suum proprium de pilulis monitum, etiam hic melius observasset: *Salia non admisceantur massæ Pill. diutius asservandæ; citissimè enim formam mutant, & ab interno vel externo aëris humido diluuntur. Præstat igitur salia extemporaneo usui pilulis permiscere. Sic etiam olea stillatitia, quæ temporis*

poris tractu avolare solent, rarius huic affundantur; nisi sub ipsum exhibitionis tempus. Quam citò verò hæc oblitus est, vide in ejus *Maßis Pill. Coch. min.* & fere omnibus sequentibus. Sequens absque Sacharo vel Melle infermentabile (quod in Electuariis Purgantibus desideratur) Excellentissimi & famosissimi olim *Burrii* Lenitivum Electuarium, omnibus Autoris Electuariis, etiam ejus *Lenißimo & Suavißimo* facilè palmam præripit.

℞. Prunor. Massiliens.
Ficuum optimar.
Passular. Major. Mdator.
Minorum an. ℥iv.
Herb. Cichor. Fumar.
Borrag. an. ℥jß
Succ. liquerit. ℥ij.
Sem. 4. frigidor. major.
minor. an. ℥iv.
Flor. Sambuci. ℥j.
F. ex. s. q. pluviæ s. a. Decoctum
Colatur. add. Pulpas ex.
Fruct. Tamarindor. ℥viij.
Cassiæ Filt. ℥xiv.
& Colaturam ex Mann. Calabricæ opt. ℥vj.
Tandem pulverem ex Folior. Senn. Mdat. ℥v.
Sem. Coriandri ℥j.
Dyagrid. ʒjß.
M. & Fiat. s. a. Electuarium.

Magnificus ac Celeberrimus ille pridem in nostris Regionibus Medicus tandem Romæ ad vitam carceri fuit traditus, quia (ut volunt Pontificii) opinabatur, Virginem Matrem S. Mariam quartam in Essentiâ Divina efficere Personam. Quod ego tamen à tam perspica-

cacissimo Heroë vix crederem: sed potius, quod jam peregrinando oculatior factus, Religionem ac Majestatem Pontificiam aliquatenus suspectam habere ceperit, & per specillum Protestantum perlustraverit. *Tertio.* Quo jure Autor Aquas Plantag. Fumar. Burs. Pastor. Card. B. Cochlear. Cort. Arantiar. Hirundinum ex sua Pharmaciâ Galenicâ in Chymiam Physicam transferat, non magis comprehendo, quam ejus in destillandâ Aquâ Prophylacticâ ad siccitatem (quod NB. absque omnia corrumpente adustione fieri nequit) dexteritatem. En igitur meliorem hujus aquæ, sive aceti medicati, destillandi methodum. ℞. Rad. Angelic. &c. Conscissis contusisque affunde Acetum; digerantur, destillentur, abstractâque vix aquæ quartâ, ab igne cucurbitam remove. Cola reliquum, præloque fortiter exprime, expressumque liquorem jam ad siccitatem, absque ullo adustionis metu, destilla. Quoniam Acetorum omniumque acidorum destillationes principio nil nisi phlegmata, in fine verò fortissimos præbeant spiritus, de hoc altero non aspernando gaudet hæc methodus commodo. Aq. Alexipharmac. Amstelodamens. fit eodem modo. De aquis suis Compositis, Ung. pomatis, &c. idem quod de Dispensatoriis, (vulgo uno eodemque tenore conscriptis) sub incudem revocandis, sentio: uti enim harum magna pars absque detrimento rescindi posset, sic Autoris Aquar. Vitæ, Spirituum Carm. & Aromaticorum, Spirituum seu (ut Autores Novitii volunt) Salium Volatilium Aromatic. Oleos. Uterin. Stomach. Cephalic. Cardiac. Antivener. (imò si velis) Verrucalium, Anticlavicorum, Pernionicorum &c; supervacaneorum Unguentorum, Pomatorum quarta, abundè *Pharmaciæ Med. Physic.* sufficeret: ad unius enim normam millenas conficere,

 quid

quid facilius? Nec opus est, imò nugacissimum, singularum unius ferè materiæ fabricæ ac formæ Compositionum quinque vel sex formulas præscribere. *Quarto* restat, ut digito ejus Unguenta tangam; quod ex solo Lythargyrii Aceto cum Oleo Rosato terendo, lene, pingue, albissimumque fiat Unguentum, ejus ex ipso Lythargyrio pulverato, fusco, friabilique existente: porrò, quod ille ignorare videatur, quod omnia albicantia ex quavis axungia Unguenta, ut Pomat. Rosat. &c. valido, per semihoram in mortario marmoreo pistilloque ligneo, tritu fiant albissima. Valde impropriè, si non inutiliter quoque, ab illo Pictorum Vernices inter *Medic. Physica* Medicamenta recensentur. *Quintò* mutilatum suum Extractum Catholicon, anabaptisatum Pill. Cathol. Nostræ Descriptionis, succo decoctove prunorum extrahere intendit, oblitus *quod per similia menstrua solum Viscosas relictis decantatissimis Ramosis* (potius Resinosis) *extrahi* anteà docuerit, (sed bonus etiam aliquando dormitat Homerus,) perit igitur, (qui inexcusabilis sanè error) hic Colocinth. Hellebori Nigri, Agaricique primaria ac potior pars Resinosa. Sequens Dispensatorii Amstel. Extr. Cathol. ad artis regulas magis quadrat, atque ad hujus specimen cætera ejus generis omnia possunt fieri pilularia Extracta:

℞. Pulp. Colocinth. ʒvj. vel duplum triplumve, Agarici Albi, Helleb. Nigr. an. ʒß. Ingredientium Aromatic. Spec. Diarrhod. Abb. ʒiv.

Ex hisce grossè contusis extrahatur calidè digerendo, post lentè destillando, per Spir. Vini Tinctura, quæ transcolata præloque expressa, iterum in Cucurbita ad Spir. V. abstractionem destilletur, dein in vase aperto evaporetur, addendo

Aloes

Aloes lucidæ, antea in Tincturæ aliquantulo dissolutæ ℥j.
& sub finem (ne densetur) Scammon. ℥ß.
MS. & F. Massa.

Nª Quidam non malè ad meliorem extractionem, expressis ingredientibus, secundò Sp. Vin. affundunt.

Æthiopem lavare etiam mihi videntur, qui nescio propter quid Ramosi vel Viscosi, in extrahendis Jalappæ, Scammon. &c. Resinis, prius aquâ, posteà Sp.V. utuntur, Altheæque mucilaginosas Radices prius in Vini Spiritu infundunt, antequam in aqua decoquant. Nec minus in describendis suis Ambræ Pomis hallucinatur, ac apud Ipsum de requisitissimis ad ea, Ladano, Styrace liquidâ, Pistillo fervido, Illinitione &c. altum silentium. Firmiori stat talo sequens horum ex celeberrimâ olim Dni Liestinckii Senioris Pharmacopœa Descriptio:

♃. Rad. Ireos Florentin.
Cypri rotund.
Lign. Sassafr. Rhodii,
Cinamom. Acut. Garyophill. an. ℥iv.
Herb. Majoran. Nobil. miij.
Rad. Calam. Aromatic.
Cort. Citri an. ℥iij.
G. Labdani. ℥vij. Styrac. Cal. ℥iv.
Benzoin. ℥vj. Styr. liquid. ℥ß.
Carbonum tiliæ vel salicis q. pro colore decenti. s.

Omnia ritè s. a. pulverisata, cum s. q. Mucilag. G. Tragacanth. Aq. Rosar. extr. pistillisque ferè candentibus, valido promptoque labore, in pastam manibus tractabilem contundantur.

Præstantissima hæc Massa quotannis, in hoc tum publico, & celebri Civitatis Delfensis, Societitas Indiæ

diæ Orientalis ibidem, Orphanotrophii, Nosocomiorumque Pharmacopolio componebatur, ex quâ figurâ ac odore gratissimæ formabantur pilæ vel poma, quibus amplissimus Senatus, illustrissimi prædicti Collegii Socii conspicui, ac venerabiles prædictorum domuum Administratores, donabantur.

N, 1. Formata super cribrum in umbra per 14. dies exsiccentur; dein linimento ex Ambrâ & Moscho mucilag. Tragacanthæ permixt. ad nitorem fragrantiæque augmentum illiniantur.

N. 2. Pro lubitu etiam ex pastâ parvæ pilulæ, pro monilibus vel torquibus, formari queunt.

N. 3. Hæc poma 30. annos & suprà (expertus loquor) fragrantiam suam conservant, conclavia, cistas, vestes & linteamina gratissimo odore condiunt.

Inscitiam imperitiamque quoque suam produnt, qui ex Opio puro, seu oleis stillatitiis, aliquantuloque Croci permixto; vel ex Aloë, Gum. Ammoniaco, &c. Spir. Vini. Aquâ, Aceto, &c. solutis, absque æqua Pulverum proportione, Pilulas, semper duras rotundasque permanentes, facere prætendunt promittuntque; quoniam (ut *ipsissimis* utar verbis ac terminis) *hæc soluta ac pilulificata brevi fluidificantur*.

Periculosius errant, qui Mercurium dulcem, semper suâ gravitate subsidentem, coquendis addunt Tabellis. Præstat ac tutius est, singulis ex Sach. panis, mediante mucilag. Tragacanthæ, pastæ bolis vel frustulis, singulas Mercur. Dulc. &c. addere Doses, ex iisque probe depsitis, trochiscos placentulas pastillosque formare. Porrò quod Clariss. hic Autor, in describendis suis ex acidis Tabellis, ad Sach. ℔j. ponat Succ. Berber. q. s. nihil est dicere, quoniam in eo cardo rei vertatur. Quod etiam quinque Sachari unciis

vix

vix ſex ol. diſt. guttulas addere audeat, mancam aliquatenus ejus in iis peritiam arguit. De Tabellis ex Ol. Vitrioli, infuſione flor. Violarum, vel ex Mannâ, ne verbulum quidem habet. En unam alteramve formulam. ♃. Succ. Citri. Arant. Berber. Infuſ. flor. Viol. à ʒvj. ad ℥j. Incaleſcat ſuper ignem, ac inſperge, jugiter ſpatulâ agitando, Sach. Pan. albiſſ. contuſi exſiccatique ℥iv. quibus abſque coctione liquefactis, ilicò in rotulas effundantur. Ex Mannâ autem fiunt hoc modo: ſachari unciæ ad conſiſtentiam vulgò duriorem coctæ, ab igneque remotæ, additur Mannæ puræ contuſ. ʒj. permixt. poſt alteram levem ebullitionem, effundantur. Diverſas notas ac regulas in Tabellarum fuſionibus obſervandas adderem, & jam in aliis addidiſſem, ni ſubvererer, ne hæc præter opinionem in aliquantulam molem aucta, *Brevis Diſcurſus* titulum ac terminos tranſilirent. Præterquam quod minus arduum foret onus, tot ac tantos Novatorum libros ſub incudem revocare. Accedit quod hæc tantula quantula veris artis peritis abundè ſatis demonſtrare valebunt, veram & magis concinnam, (ut eorum Autores ſibi perſuadent,) ex ſimilibus quam ex aliorum ſcriptis, neminem ſibi comparaturam eſſe methodum: neque ſemper experientiam eſſe penes illos, (etſi apud exteros abſentia famam augeat) qui ſeſe novo ſcribendi modo commendare ſatagunt. Priusquam tamen hocce filum penitus abrumpere queam, illud adhuc aliquantulum aſſuenda lacinia prolongabo. Et quidem primò ſatis admirari nequeo, Noſtrum utriuſque Pharmaciæ peritiſſimum reformatorem ratiocinatoremque abſolutiſſimum in conficienda tritiſſima Antimon. calce (vulg. Ant. Diaphoretico) adeò ſcrupulosè fuſionem, propter imaginariam re victuram vim Emeticam pro-

hibere; quoniam contrarium ipſe centies comperi, ab omnique perito pro comperto habetur. Secundo, quod mox ſui oblitus cum vulgarium Myropolarum offendiculo in tam craſſos incidat tantus Artifex errores, ut ollam ſuam cum Antimonio detonato confeſtim & maximo ambuſtionis periculo in aquam conjiciat, ita ut (uti ille) non ſolum *cum fragore ſales diſſolvantur*, ſed (expertus loquor) *fiat fragor & denſi fundantur ab æthere nimbi*, & maximo cum tonitru fragmenta ollæ, calcis, ferventisque aquæ imbres, temerarium adeò undique coöperiant, ut facti recordatio ipſi diutius quam Autori noſtro (qui ſeu nunquam fecit, quod conſcribit, ſeu ad præterita mala oblivioni tradenda admodum facilis eſt) ſuperſtes ſit. Ad me quod attinet, pedetentim ac per vices pauxillum ſuper ſpatulam ex crucibulo ab igne depoſito capio; ferventi pluviæ ſenſim immittendo omnem, quæ in crucibulo erat, materiam albicantem exſtinguo; coquendo ſolvo, per cribrum tranſmitto, indiſſolubilem, quæ in fictilis fundo vel colo manet, ab arenâ carbonibus vel particulis regulinis fæcem glareoſam abjicio, nitroſum lixivium à ſubſidente pulvere per decantationem ſeparo, ex eoque Cremorem Diaphoreticum & Nitrum Antimoniatum mihi comparo; albiſſimum, qui fundum petierat, pulverem (quanquam non ſit *è minera puriore*, ut ille vult, ſed ex ſtybio vulgari) pluviali abluo, edulcoro, denique puteali præcipito, chartæque emporeticæ, infundo, ex qua bacillo plano cretæ fruſto impono, omnemque hunc laborem unius vel ad ſummum ſeſqui horæ ſpatio abſolvo. Videte jam Experti, ac de utraque methodo judicate.

Ovid. 1. Met. 269.

Miraculi ad inſtar mihi quoque apparet, quod alicubi Aquam Fortem per linteum, hoc illæſo, filtrare no-

norit. Pergo, idem Ille, qui statim insensibiliter integrum (uti dicunt) elephantem deglutivit, jam à muscâ præfocari videtur, quoniam Medicos Pharmacopœosque, (ex quorum myriade vix unum hanc occasionem habere, ipsum non latet, præterquam quod res flocci sit) frustrâ exhortatur, *ut flores laxantes pro Conservis, Succis aut Syrupis, primò manè decerpant*, & hoc quidem propter arduam profectò rationem, cujus abbreviatus sensus est, *ne absorpto per Phœbi radios fermentabili rore, nil nisi austeram fæcem reperiant.*

Sequentibus, utut Glauberianis, tantum ad pompaticam ostentationem (ita ut à Senatu Veneto, vel potius ab Universi Moderatoribus dura ac generalis Magistratus Sanitatis, ut Itali vocant, provincia tantorum Inventori & Detectori videatur imposita) nullatenus ad Auxiliorum Materiam pertinentibus, absque damno carere possumus: *Sale* primò videlicet *inserviente in defæcandis ab insectis, purgandis, corrigendisque ulterius aquis*; Secundò *dealbatione alvorum navium aquæ portatarum Zythepsarum*; Tertiò *Suffitu ad fumigandas cellas*: Quartò *pulvere ad supprimendas potulentorum fermentationes* vel ad ea *aromatizanda*. Omphacii Acetique factoribus quoque sua *acida fermenta* relinquenda sunt: dolendum *præterea*, quod *memoriam labilem confortans Esurinus Spiritus* præter Hartmannum & Zwelferum sit ignotus fermè Medicis Pharmacopœisque thesaurus, uti & quidquid præ cæteris *Phosphoris egregiis incunabula præbeat*; quodque plurimos lateat, quod *Solis irradiatio plurimis parasangis prævalet igni vulgari, ad corporum exaltationem obtinendam*, (quod ego tamen non credo,) ejusdemque farinæ perplurima, Historiæ Naturalis vel curiositatum Scripto-

ptoribus tritiſſima, licet in Medicinâ faciendâ propter jam dictas atque adhuc dicendas rationes flocci facienda. Primò, quia hæc nihil ad Materiam Medicam faciant. Secundò, quod autumno, hyeme, & vere ſatis laudabiles aquæ hiſce correctoriis &c. non indigeant. Tertiò, quod ſola creta pulveriſata (expertus loquor) ad abſorbendum acidum, atque ad ſiſtendam ulteriorem fermentationem ſulphur, in omnibus ſpirituoſis liquoribus Vino Cereviſiâ Fructuumque fugacium ſuccis ſat valida; Cardamomum minus verò aromatizandæ cereviſiæ omnibus numerus abſolutum ſit. Addam, quod ego gratiſſimam cereviſiam menſe novembri coctam, ſine ullo remedio, per integrum annum ab omni acore & fermentatione conſervem; atque ex albâ cereviſiâ, V. G. Bredanâ, æſtate cum vaſculo in tabulato collocatâ, abſque ullius fermenti additione, acerbiſſimum (præſtantiſſimumque deſtillatum præbens) acetum, mihi conficiam.

Si Novatoribus quidpiam ſuper Medicorum, ſemeſtriumque Spagyrorum Pharmacopœorumque, vulgus detegere, & ſic poſteritati experiundi deſiderio inſervire ſit animus, pro viribus agant, ut communi mortalium bono ex ignorantiæ puteo remedium, protinus abſque labore vel inſtrumentis, aquam ſalſam dulcem reddens effodiant: cui hoc ſemel proſpere cedet, ab univerſo genere humano procul omni dubio, ut Jovi Conſervatori, merum aureum Rhodio Coloſſo majus monumentum in æternam beneficii memoriam & hoſtimentum erigeretur. Nec mirum, quia hic cum aquam dulcem ex marinâ olim primum deſtillante Siculo, non aliquot mille à Mauris obſeſſos præſidiarios, ſed in genere omnes homines, præprimis tamen Neptuni dorſum ſulcantes aratores, à mille malis conſervaret.

1534. Sebaſtianus da Pollere Siculus in obſidione Gerbi in Africa teſt. P. Jov.

Sed

Sed ad rem. An non præstitisset, ut Doctiss. Autor de remediis artificialibus acturus, ea nobis simpliciter, ad laudabile exemplum autorum de republicâ Pharmaceutica meritissimorum, ut Renodæi, Scroderi, Zwelferi &c. attamen suis vivis coloribus depinxisset? Et in singulis formam ac consistentiam, efficientem basin quoad quantitatem qualitatemque, ad amussim delineasset? ita ut legentibus in genere primoque intuitu appareret, quod *Syrupi, Condita, Conservæ & Tabellæ ex sacharo; Electuaria ex melle, vel sacharo vel ex utroque, pulpis, mannâ; Opiata ex Opio; Pillulæ ex Aloë; Emplastra & Cerata ex cerâ lythargyro &c. Unguenta ex axungiâ; Olea per Infusionem ex ol. olivar. &c. &c. in primis consistant, quantumque horum ad singulorum legitimam consistentiam requiratur; quænam inter Composita Hieraπικρα vel amara &c. vocentur; quomodo maxime artificis commodo possint componi: ut V. G. ex nitroso Antimonii Diaphoret. lixivio (quod omnes diffundunt) Cremor Diaphoret. & Nitr. Antimoniatum ex superstite à distillatione Sal. Volat. Aromatici, Aq. Vit. Sp. Carm. Sylvii menstruo, Olea Balzamaque, præsertim Nuc. Moschatæ, vulgari Indico non inferioris; Quam levi negotio per quæ & à quibus medicamenta adulterentur, &c. quâ ratione uno furno omnes & simul* x. *vel* xij. *& supra processus Chymici queant absolvi; quo pacto alter à semel succenso foco per longum tempus & semper in æquali maneat calore; qua methodo plus quam vulgari ex vitriolo oleum distillari possit; qui hæc distillatio per plures dies absque furni apertione, alternis licet diebus ipsi nova materia ingeratur, continuari possit; qualiter venalia Chymicalia à Chymicis (Laborantibus) atque Aromatariis vulgò adulterentur, & quâ viâ eorum fraudes*

des detegantur. Quæ omnia (si Jehova vitam ac ocium concesserit) ore labore ac scriptis pro tenellis viribus ulterius demonstrare conabor.

Postremò simplex *purum putumque Opium* etiam omni ac *quovis modo præparato* seu correcto *præfero*; ejus insignis calor ex amaritie etiam Veteribus innotuit, quod & ante 150. annos subolfecerat Wierus, dicens, *In extremo refrigerandi gradu id designari, cum insigniter amaricet, inflammetque, mirum est.* Præterea centum abhinc annis & ultra Opium in lamellas scidit, torruit, pulveravit, vinique spiritu tincturam extraxit Jos. Quercetanus; etsi haud dudum super hanc Opii Tincturam quasi nuperrimum inventum litis serram traherent, quilibet sese primum ejus inventorem prædicantes, duo Clariss. (dum viverent) hujus Athenæi antecessores. Supperaddo sequens magis rarum & quod nuper legi apud Fonsecam Consultat. Med. pag. m. 72. *Opium debet esse torrefactum, ut docet Gal. tertio per loca, ita enim ejus malignitas, quæ in fumo illo fœtido sulphureo consistit, corrigitur. Quare hanc præparationem Opii* (NB) *non sibi arrogent Chymici, cum Galenus eam proposuerit multò prius.* Ita ut Novatores Antiquos solitâ suâ arrogantia immeritò, & quidem sicut in aliis etiam in hisce, de veri ignorantiâ suggillent. Præter necessitatem & utilitatem saltem meo judicio *lixiviosum Tartari Sal Elixiri Propr.* additur, quandoquidem ad absentis acidi destructionem non requiratur, præterquam quod *Elixiri* ingratum saporem conciliat. Meum sic præparare soleo: ℞. Croc. opt. ℥j. Sp. Vin. Vulgar. ℥x. Extrahatur calidè tinctura & coletur.

Wier. L. De lamiis. pag. m.226.

Expresso croco iterum affunde Sp. Vin. ℥x. Extrahatur exprimaturque tinctura ac prima. Quibus tinctu-

ris

ris tunc adde Aloës Lucid. & Myrrh. in lacrymis subtiliss. pulverisat. an. ℥j. probe agitata digerantur in sole, aqua vel arena, per XLVIII. horas, post per subsidentiam clarificentur decantentur in usumque asserventur. Cui tamen hoc Elixir cum Sale magis arrideat, ei addat vel Sal Tartari vel Nitri fixati (Antimoniati) ʒij. Cum acido autem, Ol. Sulphur. per campan. vel Sp. Vitrioli ℥ß. & digerat adhuc simul per XXIV. horas, & habebis, quod desiderabas, Elixir Salsum vel Acidiusculum.

Hoc modo nullam Croci Tincturæ, facile alias pulverum interstitiis seu poris inhærentis, jacturam facis: sed insuper ex superstite, quod fundum petiit paulisper evaporato sedimento non contemnendam conficiendis pilulis laxantibus aptam (vix Ruffinis inferiorem) massulam habebis.

Sed objicienti quod ejusmodi Elixir absque sale Tartari parum admodum de Myrrha habeat? respondeo, quod nec præsentia nec absentia hujus salis, ad piceam & tenacissimam myrrhæ compagem solvendam tamen imparis, majorem Elixiri Myrrhæ virtutem procurabit. Longè aliud profectò, sed paucis notum, radicali Myrrhæ solutioni requiritur menstruum.

Cæteroquin Autoris ex Glaubero *spirituum ardentium ex vegetabilium fermentabilibus succis farinis, &c. destillationes* ambabus ulnis amplector, ac uti aliorum, sic etiam ejus honestos conatus utilesque labores, laudo; & licet in quibusdam, forsan à me non satis intellectis, ab ipso discrepem, illum cætera tamen magni æstimo & reverenter colo. Absit tamen, ut aliquis in gratiis agendis pocillatori oblivisceretur Symposiarchæ, seu in legendis Novatorum novissimorum scriptis adeò occuparetur, ut pridem, vel in

no-

novis inveniendis, vel in inventis reformandis, Principes, de auxiliorumque materiâ meritissimos, Glauberum, Zwelferum, &c. despiceret.

An Medicum deceat manu propria sua medicamenta elaborare.

Denique mihi huic Capiti calcem imposituro obviat famosa illa quæstio, liceatne, satisque sit decorum, nec Medici majestate indignum, Medicamenta præparare? Ad quam affirmatè respondeo, Primò quia nihil est quod vetet; Secundo quia præterquam quod Hippocrates Galenusque Pharmaciam in Medico ut per necessariam exigant, passim ex eorum sequaciumque, omnium regionum ac ætatum principum Medicorum, nec minus ex clarissimorum Neotericorum (uti E. G. Plantius in vitâ Fernelii refert, magnum Regiumque illum Medicum Lutetiæ propriâ manu sua remedia componere solitum) scriptis sole clarius liquet, eos propria præparata Medicamenta suis ægris præbuisse. 3° Necessitas quoque postulat: cuncta videlicet publicâ utilitate demetientibus salus populi suprema lex est: sed Pharmacopœi singulis medicamentis vel adimunt vel immutant vulgo Antiballomenon & succedanea (sic vocant) quid pro quo mel pro sacharo sumunt, atque in suæ ignorantiæ typum omnia fingunt. Unde Pharmacopolia multa pilis arculis & aliis pluribus vasis nitentibus ornantur, sed medicamentis optimis & probatis destituta mucidisque vero oletis referta: atque pyxidibus inscriptiones appositæ simplicia aut composita quædam sæpe designant, quæ nec Pharmacopola novit, nec vidit unquam: sed sat esse putat, si ad ostentationem ea plebeculæ objiciantur, à quibus gloriam aucupatur, simul & lucrum. Accedit quartò, quod linguæ Latiæ sæpe ignari Myropolæ subindè summo ægrotantium discrimine Medicorum formulas præposterè præparent, nec eorum laborantium vale-

Pharmacopœorum in immutandis pro lubitu Medicorum formulis libera potestas.

tudo

tudino morborumque eventus refert, si Medici solummodò, ut illis gratificentur, multas prolixissimas ac ex suis imaginariis præciosis medicamentorum formulas exarent, ac intra unum alterumve diem ægrotantium abacos mensasque suis Pharmaceuticis mercibus onerare gestiant. Tales ac tantos Medicos cæteris præferunt φιλοχρήματοι Pharmacopœi. Quorsum id faciant, cogitandum relinquo. Quinto ac ultimò iniquum postulant de Medicis conquerentes eosque propter medicamentorum ægris porrectionem sugillantes Pharmacopœi, quoniam & illi in Medicorum segetem suam falcem immittant, & sic (uti dicunt) par pari referant, bonis malisve avibus ipsis perindè. An patiens autem solvendo par sit nec ne, non ita susque deque habent.

Perperam Pharmacopœi de Medicis conqueruntur.

Quod Joannes Sueciæ Rex A° 1590. cum nulli (quod tamen mirandum) adhuc in Sueciâ essent Medici, cujusdam Pharmacopœi medicatiunculis periit, in eorum perpetuam infamiam atro carbone notavit Clariss. S. Puffendorffius.

Introd. ad Hist. pag. m. 459.

Valde desiderandum foret, ut nostrates medicantes Myropolæ post tot patratas cædes, ex hujus periculo, tandem sapere vellent.

Sed subvereor; ne hæc verba mortuo fiant, & ne pessumi hi mores in commune mortalium damnum artisque vituperium semper sint superstites.

Jam paginam verto, Pharmacopoliorum causam aliquatenus acturus. Primo publicæ venalibusque medicamentis refertæ officinæ in republicâ necessariæ sunt, ut petenti vulgo semper suppetant medicamenta. Secundo grassantibus epidemicis malignis ac contagiosis, peste, dysenteriâ &c. publica pharmacopolia non immeritò ante omnia miserorum solatium refugiumque

Communi tamen bono optandum foret, ut hic uti in Germaniis instructissima essent Pharmacopolia.

Hipp. 4. v. 29. evadunt, ipsiusque Hippocratis suffragio, citra Medicum non autem absque medicinâ aliqui curari possunt. Ad hæc Medici tum temporis in visitandis ægris adeò occupantur, ut remediorum præparationi vacare nequaquam possint. Et profectò (quod Deus gratiose avertat) si ejusmodi atroces mortalium hostes has oras ac olim aggrederentur, quam maximè verendum esset, hæc hodiè adeò neglecta collapsa & vacua Armamentaria Medica haud parvum detrimentum Reipublicæ allatura; multique nimis serò cum Phrygibus saperent. Diutino videlicet universalis nostræ regionis incolumitatis ac optimæ valetudinis intervallo, & perpetuâ sanitatis cum morbis initâ pace, non solum milites Pharmacopoei torpuerunt armaque medicamentaria rubiginem contraxerunt; sed quod pessimum, Novatorum omnigenis artificiis, quasi tot cuniculis ac bombis, probè ac ubertim olim instructum Armamentarium Medicum jam adeo est destructum, ut pro magnis omine & nomine Medicis, dextris ac industriis Pharmacopoeis, refertissimis absolutissimisque Pharmacopoliis, vix aliud præter permultos quidem sed levissimis studiis tinctos Medicastros, Pharmacopoeos ignavos, mutilatas ac vacuas Pharmacopoeas infinitasque Medicastrorum, Barbitonsorum, Agyrtarum, Vetularum officinulas, quibuslibet optimis ac necessariis (licet titulo paucorum selectiorum superbiant ac interim vilissima sint) ad profligandos morbos omninò destitutas, cæteris vix Petro & Paulo sufficientibus, invenias. Sic omnes fiunt deteriores licentiâ. Hinc illæ lachrimæ. Intereà sub præsumptuoso reformationis velo, conniventibus Principibus ac Proceribus, hæc effecta sunt. Nunc quisque Veterator æquè ac Novitius in hisce (quod sanè dolendum) absque limitibus sibi concessas

De ubivis apud nostrates medicamenta distrahentibus plebeiis.

cessas indulgentias putat, Pharmaciam tractat, Pharmacopœum agit, verbo impunè de corio humano ludit, etsi simplicium nomina vix audierit, vel ulla medicamenta unquam viderit, & neutiquam eorum Præparationi Compositionique interfuerit. O temporâ! ô mores! Sed interloquentem mihi audire videor: quod aliis exprobras ipse facis, propria tua medicamenta tuis ægris præparas ac propinas, nil in publicâ pharmacopœâ præscribis. Huic hæc oppositio sufficiat secundum axioma: *Opposita contra se posita magis elucescunt.* Prædicto modo me medicinam facere fateor ac concedo, quia à teneris præceptis Pharmaceuticis instructus, diutius Pharmacopœum quam Medicum egi, ac mihi ad faciendam Pharmaciam prius publico Magisterii Diplomate, quam ad Medicinam Testimonio Academico (vulgo Bullâ) facta sit potestas; ita ut licet publicam officinam nec venalia jam habeam, etiamnum sat multa ritè ac S. A. præparata ad quotidianam praxin mihi præstò sint. Fateor insuper, me invitum quasi ac nisi tædio lassatum olim meo Pharmacopolio publico valedixisse; simulque miror, tot, propter prædictas rationes, tam abjectam depauperatamque hodiè publicam Pharmacopœam adhuc colere: rarissimè enim ab unâ parte in Pharmacopolio suas formulas (vulgo receptas) præscribit Medicus, quapropter ab alterâ Pharmacopœo non absque extremâ ruinâ possibile est, semel forsan in anno vel mense præscriptum semper in promptu ac ad manus habere. Sed quidam in arte consenuerunt, & jam, prout fert illa ætas, ad mutandum difficiles sunt. Alii nihil aliud didicerunt, semperque cum Calendariographis meliora sperant. Cæteri, quibus res angusta domi præcisaque ad majora melioraque sperandi occasio, vi-

Magna igitur inter nos intercedit differentia.

 lissimo

lissimo pretio Officinulam Pharmaceuticam coëmunt suaque sorte contenti, quia tempora lætiora nunquam viderunt, tenuiter ac miserè ætatem vivunt.

Tandem paucis sequentibus hos rivos claudam. 1° Non initio, sed sensim nec absque prægnantibus causis Pharmacia professio sui generis facta est, sentiente antiquitate, *quod pluribus intento minor sit ad singula sensus.* 2°. Ne Medici imperitiâ ulla fraus errorve in præparandis medicamentis subrepat. 3°. Quia in rerum fausto infaustoque eventu uterque Medicus Pharmacopœusque sese invicem ad animi majorem tranquillitatem semper rei benè & S. A. gestæ habeant Testes. Ad Germanorum igitur laudabilissimum exemplum numero pauciora, qualitate & quantitate majora, saltem secundum Dispensator. Amstelodamense vel Hagiense instructissima Pharmacopolia, ut patriæ nostræ essent vernacula, in commune bonum exoptaret quisque probus ac peritus, quæ tum præcisè & ad minimum quater in anno ab expertis visitatoribus rigidè & procul ab alicujus modi conniventiâ essent visitanda. (Quod examen prædicto officinarum vilipendio jamdudum in insuetudinem abiit.) Eum in modum, ut corrupta vel male præparata eliminarent, Pharmacopœisque delinquentibus mulctam imponerent.

An Pharmacia professio sui generis fit?

Quomodò Pharmacopolia reformari possent.

Interim tamen dum hæc exspectantur, respectu hodiernarum collapsarum Pharmacopœarum valdè circumspectè agat utriusque Pharmaciæ peritus Medicus: venalia quidem ac vulgaria ne habeat, quædam singularia tamen sibique probatissima componere suisque ægris impertire ipsum nondedecet, sed oportet. Quoad cæteras jam præter publica Pharmacopolia Agyrtarum (vel ut audire malint) Laborantium & Medicamentorum tam Chymicorum quam Galenicorum venditorum offi-

De Vulgarium Chimicalium aliorumque Pharmacorum venditoribus, ut & de simplicium Propolis vulgo Materialistis (Drogisten.)

officinulas, has ſicut tot latronum ſpeluncas ac gelidæ mortis armamentaria funditus everſas vellem. Ab fœnerantibus quoque & dolo malo effœta, mucida, putrida, carie & ſenio confecta ſimplicia expolientibus, & è contrà quævis optima ſordidi lucelli gratiâ depravantibus & adulterantibus Ῥωποπώλαις, ut unuſquiſque Emptor, tam Medicus quam Pharmacopœus, niſi inſtar Argi totus oculatus ſit, eorumque technas Lynceis oculis detegere norit, cautè caveat, ſeriò moneo; alioquin magnos illos & longè latèque in Medicos, Pharmacopoeos, Chirurgoſque dominantes dominos Propolas, præter tuam lanam, quam etiam oculatiſſimis & prudentiſſimis ſuâ uſurâ detondent, inſuper tuo ſanguine ac ſudore ſaginare debebis. Quomodo & quibus tam ſimplicia quam Compoſita & Chymica Medicamenta ab avaris Mercatoribus ac Laborantibus adulterentur, nunc divulgare exemplisque illuſtrare mihi primò fuit animus, jam verò ne hic Tractatulus Brevis Diſcurſus limites excederet, oportuniori tempori locoque reſervabo.

Drogiſtæ vili pretio merces in copiâ præemunt, eaſque poſt cariſſimè Pharmacopœis divendunt.

Me non ineptè tamen facturum ratus ſum, ſi tenuem meam de publicis Magiſtratus privilegiis munitis pauperum Pharmacopoliis conſiderationem addam; quoniam annuus porrectorum medicamentorum calculus haud contemnendum in eleëmoſynarum ſcriniis faciat vacuum. In confeſſo eſt, quod licet antea taxationibus aliquatenus diminutum antiquum ſit remediorum pretium, levi negotio tamen quivis Pharmacopœus adhuc dimidium ferè in egenorum damnum lucretur. Ex quo conſtat, quod hoc accreſcens lucrum hac ſcirpulâ præſecari nequeat. Aliud idcircò huic malo remedium ab Ampliſſ. quarundam populo frequentium Civitatum Proceribus adinventum eſt. Videlicet ipſi alicubi in Urbis Noſoco-

comio vel Orphanotrophio propriam Pharmacopœam instituunt, cui juvenem Pharmaciæ peritum præficiunt qui modico salariolo secundum Poliatrorum urbisque Chirurgorum jussa & præscripta omnia præparet, ægrisque officiosè inserviat, eorumque quæ ipsi confiduntur reddendæ rationi Inspectoribus semper præstò sit; atque sic magnis illi Magistratus privati (vulgò Urbis) Pharmacopœi supputationibus usurisque sese eximunt, & multis inutilibusque sumptibus parcunt, & ut ab huic usui dudum assuetis asseritur, tertia quam quotannis Pharmacopœo solverent pecuniæ pars, cæteris paribus, abundè huic annuo sufficit expenso.

Considerationes de publicâ & pauperum Pharmacopœa.

Nec suum ad hoc utilissimum opus conferre, sic jubente magistratu, hæsitarunt quidam præstantissimi Medici; in quem finem universalia quædam, tam Simplicia quam Composita excogitarunt remedia, quæ modico væneant pretio, & nihilominus satisfaciendis indicationibus Medentium satis valida & generosa essent. Præteritis igitur infinitis caris, quæ ornatus & fastus ad pompaticam ostentationem in praxin medicam intruserant medicamentis, quædam ubique obvia & proin vili comparabilia nec idcircò minus æstimanda, sed omnibus numeris absoluta, in publicorum pauperum infimæque angustæque sortis hominum privatorum, nosocomiorum &c. usum, concinnarunt, quibus immensis profectò in tot miserorum emolumentum parserunt sumptibus, atque de eleëmosynarum ærario optimè meriti sunt hi Viri. Quod idem ab antiquissimis primisque artis proceribus præstitum, atque etiam ab aliis qui aliquot lustris nos antecesserunt, quibus summæ curæ studioque fuit egenorum salutem modis omnibus, minimis quoad potuit expensis eorum vitam servando, pecuniisque parcendo, restaurare.

Sin-

Singula jam ejuſmodi remedia hic referre nimis tœdioſum eſſet, & in civitatibus, in quibus laudabile hoc inſtitutum dudum invaluit, examinari poteſt; alias leviſſimo negotio alia, forſan meliora, his ſurrogari poſſent. Quidni ex uſualibus Compoſitis etiam hæc paucula publico pauperum Pharmacopolio ſufficerent: ut E. gr ex Aquis Simplicibus deſtillatis Fœnic. Roſar. Hyſſop. Menth. Ciamomi. Ex Compoſitis una acida, ut acetum aliquod per infuſionem medicatum, Calendulæ vel Sambuci vel Deſtillatum: ut Aqua Alexipharm. vel Prophylactica. Altera Salina volatilis ſeu Aromatica: ut Aq. Theriacalis vel Vitæ, vel ex Cochlearia cum Spiritu Vini, vulgò Sp. Cochlear. Ex Syrupis, Altheæ, Papav. Simpl. & Erratici; Cichor. cum Rheo. Ex Electuariis unum inſtar Parienſis ad Clyſteres; alterum pro Conditis & hauſtibus purgantibus, utramque paginam abſolvere poſſent. Ex conſervis, Conſerv. Roſar. Rubr. Ex Opiatis & Anodynis &c. nobilis hæc trias, unum ſolidum magnus videlicet in doloribus opitulator, Opium crudum, alterum molle, V. G. El. Diaſcord. vel ſimile: tertium liquidum, ut Tinctura Opii mediante Spiritu Vini, Medentis exſpectationem nunquam fruſtrabitur. Tria quatuorve Emplaſtra, & totidem Olea & Unguenta ſananti Chirurgo requiſitam opem ferre valebunt. Quibus ſi accedant Pilularum purgantium quarumvis Maſſa generalis, V. Gr. Extr. Cathol. vel aliud, & Vinum aliquod Emeticum cum paucis aliquot parvi momenti aliis, abundè ſufficiet Galenicè Compoſitorum inſtruendæ pauperum Pharmacopœæ numerus. Quantum ad Chymicalia, vix dubito, quin ſequentia & Medico Spagyrico ſatisfacerent: tria quatuorve nimirum Mercurii præparata; ut Mercur. Dulcis, Præcipitat. alb. & rubrum, tantumdem

dem Stybii, ut Crocus Metallor. vel Vitrum Antimon. Bezoardic. Min. seu Regul. Antimon. Med. vel Antimon. Diaphoretieum: porro Nitrum Alcalisatum, Antimoniatum, Sal Prunellæ. Alcali aliquod fixum (non refert cujusnam, nec an unius tantum vel plurimarum simul sit herbarum,) & Volatile informâ siccâ vel liquidâ perindè est: ut C. Cervi; Cranii humani, Salis, Urinæ; vel Ammoniaci compositi (*vulgo Sal Volatile Oleosum vel Aromaticum*) Cornuum & Ungularum Animalium. Acidus & Dulcis Vitrioli, vel Salis, vel Nitri, vel Sulphuris Spiritus. Olea Succini, Anisi, Juniperi, Rorismarin. Garyoph. Philosoph. Balsamus Sulphuris Communis & Therebinthinatus.

Ingentem adhæc simplicium officinalium viribus & usu inter se convenientium numerum, hic quoque præsecare atque ad pauca præstantiora redigere, quis vetat? Ex. Gr. præter prænominatorum Compositorum ingredientia & usuales nostrat[illegible] vilissimoque pretio comparabiles Radices, Herbas, Flores, Semina, Fructus &c. vix alii quam sequentes salutari merentur pauperum Divi Tutelares & Auxiliatores: ut ex Regno Animali Oculi Cancri, Cornua & Ungulæ Cervi, Boum, Cera, Mel. Ex Vegetabili Lig. Guajac. Santal. Citr. & Rubrum, Sassafras, Cortices Arant. Citri, Granat. Peruvian. Chinæ Winteran. Rad. Aristoloch. Fabac. Curcum. utriusque Mechoacannæ, Rhapontici, Agaricus, Fol. Sennæ, Cass. Fist. Colocinth. Tamarindi, Bacc. Juniperi, Lauri, Crocus, Gum. Ammoniac. Galban. Arabic. Thereb. Thus, Olibanum, Myrrha, Aloës, Sacharum, Manna, Tartarum Rhenanum, Camphora, Assa Fœtida, Succus Glyçirrhizæ, Resina flav. Colophonia, Sang. Draconis, Ex Minerali uterque Bolus Armen. & Vulgaris, Alumen, Vitr. alb. Tutia, Lythagyrus, Ce-

Cerussa, Lap. Hæmatit. Antimon. crudum, Mercurius vivus, Sulphur, Limatura Chalybis.

Ex præscriptis hisce omnibus, tam Simplicibus quam Galenicè vel Spagyricè Compositis & Præparatis, unusquisque Poliater pro sui ingenii modulo, vel Collegarum suffragio, ex tempore quotidiano usui potest consarcinare quasdam remediorum formulas polychrestas sive ad multa utiles, quibus Medico meditanti & præscribenti nec minus Pharmacopœo præparanti multum temporis laborisque parcitur, atque hoc modo ab utroque tantum unâ horâ expediri potest, quantum alias, si unicuique privato ægro singula Mixturulæ, Boli, Pulvisculi &c. formula (*recepta*) à Medico præscribenda & à Pharmacopœo præparanda sit, integro die effici nequit. Quod attendentibus ex hâc unâ alterâve Orphanotrophii Delfensis usuali formulâ apparebit.

℞. Conserv. Absinth. Helenii, — Conditum purgans.
Elect. Hier. picr. an. ℥xij.
Diagryd. Crem. Tart. an. ℥ß.
MS. F. Conditum.

℞. Aloës Hepat. ℥iij. — Pilulæ purgantes.
Troch. Alhandal. Diagryd. an. ʒx.
Gum. Ammoniac. Sal. Prunell. an. ℥iij.
Cum aq. Menth. q. s. F. Massa Pilularis.

℞. Argent. Viv. ℥iij. Therebinth. Vulg. ℥vj. — Ung. ad Scabiem.
Axung, porci ℔iv.
Vitriol. alb. Sulphuris vivi an. ℥vj.
Ol. Raparum ℥xij.
MS. F. Uuguentem.

℞. Oliban. Mastich. Myrrh. — Pulvis Cephalicus.
Aristoloch. Rotund. Irid. Flor. an. ℔ß.
F. Pulvis.

Pulvis ad suffitum.

℞. Baccar. Juniper. ℥vj.
Fol. Salv. Majoran. Lavend. an. mß.
Olibani ℥iij.

Horum ad exemplum ejusmodi mixturæ, ut mixtura Diaphoretica & Antifebrilis, Antipleuritica & Pectoralis, Anodyna & Carminativa cum & sine Hypnoticis, Hysterica, Antiscorbutica, Antinephritica & Diuretica, Cardiaca & Confortans, absque Syrupis tamen (qui singulis potiunculis antequam ægris porrigantur addi debent) ad stopas aliquot misceri, & per sat longum tempus in usum quotidianum conservari queunt. Divisos porrò in Dosibus Pulvisculos, formatas Pilulas, Tabellas, Nodulos, & similia, omnes conservare norunt. Decocta, ut Purgans, Scorzoneræ & C. Cervi, Guajac. & Sassafr. Hordei, Clysteris, per æstatem tertio vel quarto die renovari debent, hyeme autem per quatuordecim dies & diutius conservantur. Emulsiones & Amigdalata hyeme quidem per aliquot dies durare possunt, sed æstuante Syrio statim acescunt & corrumpuntur, hinc tunc temporis cum necessitas exigit tantum sunt præparanda.

Atque sic puto me paucis hisce oculatioribus viam monstrasse, per quam (sint veritatis impatientes quicunque voluerint) Medici & Pharmacopœi à supervacaneo labore levari, & quod præcipuum palmarium & ante omnia necessarium est, non contemnendæ pecuniæ summæ, quæ annuatim prolixis alicujus Pharmacopœi privati supputationibus erogatur, in pauperum, magis panis quam inutilium medicamentorum indigentium, solamen & emolentum, parci possit.

CA-

CAPUT. XI.

Tædia Medicorum, ſeu varii Vulgi in Medicina Errores adumbrantur.

Non abſque gravi prægnantique cauſa artis Medicæ Legiſlator Hippocrates hoc ſuum Oraculum, Δεῖ δὲ οὐ μόνον ἑωυτὸν παρέχειν τὰ δέοντα ποιέοντα, ἀλλὰ καὶ τὸν νοσέοντα, καὶ τοὺς παρεόντας, καὶ τὰ ἔξωθεν, id eſt, *Oportet autem non modo ſeipſum exhibere quæ oportet facientem, ſed etiam ægrum, & præſentes, & externa*, cæterorum ſequentium Caput primum ac principium eſſe ſvoluit. Fruſtrà enim auxilia præſcribit Medicus, præparat Pharmacopœus, ſi adſtans illa porrigere negligat ægro. In caſſum quoque quam fideliſſime ſuo munere funguntur tam Medicus quam Pharmacopoeus, Chirurgus & præſens, ſi ægrotantes eorum conſilia remediaque reſpuant. Nec externa, videlicet res non naturales dictæ (adde ægrotantis fortunam, & locum comparandis medicamentis opportunum,) minoris profectò prætii ſunt: ſed ad rectè medendum hunc Quatuor-Viratum neceſſariò requiri, unanimiter ſuffragatur univerſus Medicorum Cyclus. Hæc tamen proh dolor! tam ritè juſtè & ordinatim diſpoſita ab rudi omniaque egregia utplurimum invertente, tam decumbente quam adſtante, vulgo adeò turbantur, ut hodiè vix veſtigium tanti Oraculi reperiatur.

Hipp. Aph. 1. S. 1.

Quinam ad ægri reſtitutionem ſuum conferre debeant.

Quomodo & à quibus hic ordo invertatur.

Medicum enim unum vel alterum, Medicaſtrum vel Agyrtam (nam hoc ipſis perindè) pro lubitu accerſunt, dimittunt, iterum alios advocant, ſed nec magis eorum parent regulis præſcriptis; & ſic ab unius conſilio animi quadam volubilitate tranſiliunt temerè ad re-

 ſponſa

sponsa aliorum, sæpeque in hos incidunt, qui de Urinis multa nugari potius quam judicare peritè norunt. Porrò remedia accipiunt vel rejiciunt, saltem rarissimè imperato tempore ægris propinant: præterea grande nefas esse putant ab his conceptis semel erroribus vel latum unguem recedere, vel meliora sequi. Quibus, si nondum sufficerent, accedit, quod Myropolæ præscriptarum rerum defectu suis succedaneis omnia alterent ac corrumpant, ita ut præsentia præteritis conferenti, atque ad hunc Hippocratis primum Aphorismum hæc quasi ad Lydium lapidem exploranti, hodierna Medicina Practica videatur confusum indigestumque sine ordine Chaos. Quæ deploranda sane res est, & quam maximè redarguendus Populi quorundamque Medicorum error individuus multorum comes malorum. Ne tamen magis singularis sim, omissis infinitis aliis, ad quinque principes, ex Medicorum tædiis Populique Erroribus commixtas, causas horridum hocce monstrum restringere conabor. Primò scilicet ad Medicorum copiam ægrorumque penuriam. Secundò ad populi ergà Medicos immodestiam, avaritiam, & ingratitudinem. Tertiò ad vulgi paupertatem. Quartò ad Stoicum prædestinationis prætextum. Quintò ac ultimò ad Medicorum inter se invicem invidiam. Ad Medicorum multitudinem ægrotantiumque paucitatem quod attinet, vix dubito, quin abhinc viginti annis in pluribus hujus Provinciæ Urbibus plures Medici quam ægrotantes fuerint. Ratio mihi est merum frigus, nostrum aërem adeò temperans, ut eodem tempore, cum olim hic ut jam alibi Siriaco torreretur spica calore, non ingratus quibusdam sit focus: secus æstate mediâ ab æstuante sole in tot canalium fossarumque squaloribus scatentia stagna introducebatur intestinus motus seu fermentatio, à quâ pu-

Non solum populus sed ipsi Medici adhanc confusionem contribuunt.

putrefactio intolerabilisque aquarum fœtor universum inferiorem aërem, & consequenter inspiratione spiritus, sanguinem humoresque nostros inquinans, hinc Epidemicorum Ilias, ut continuæ ac intermittentes Febres, Cephalalgiæ, Pleuritides, Diarrhoeæ, &c. Tantoperè ut omnibus in genere Medicis, si ipsi saltem sani essent, tum temporis plus satis ægrotantium incumberet observatio & cura, & uti alii, sic & Medicorum quidam morerentur & ipsi, decresceretque hoc modo eorum numerus, accresceretque superstitum praxis & existimatio. (Tales publicæ stagnantes aquæ, in quas quilibet suas qualescunque sordes & excrementa projicit & platearum latrinarum & cloacarum illuvies exoneratur, habentur Harlemi, Lugd. Batav. Amstelodam. Hag. Com. &c. Admodum tamen hallucinati sunt illi Medici, qui in magno morbo Epidemico anno 1669. hic vaganti putarunt, atque nostræ Reipublicæ Proceribus inter alia persuadere conati sunt, quod etiam Tinctorum decocta aquas publicas inficerent, quoniam hæ ex acidis salinis & austeris tincturæ potius putredini resistunt foetoremque corrigunt, ita ut in aquis officinas tinctorias allabentibus magis quam in cæteris pisces invenias.) Jam verò frigidis æstatibus omnes passim homines in nostratum Medicorum irreparabile damnum semper rectissimè valent; & si forsan hinc indè unus alterve ægrotet, hæ decimæ solum sunt censusque existimatorum Heroum, nec cæteros à populo despectos fastiditosque tangunt. Secunda erroris popularis circà Medicos causa ex immodestia, avaritia & ingratitudine suam originem trahit. Vellet enim populus, ut Medici semper curarent, hinc prognatum est dicterium, in Cathedrâ sanari omnes, in praxi verò interire plurimos; quo nihil aliud innuitur,

quam quod Medicus fine suo non rarò frustretur. Sed nihil in humanis diuturnum, nedum perpetuum. Omnibus semel calcanda via lethi, etsi incertum sit, quem dierum mortalibus terminum naturæ Autor statuerit. Præterea è tot hominum millibus, quam paucis quæso datum est, ad senectæ limen pertingere.

Aliorum nil refert, convaleatne vel moriatur æger, si saltem citò unicaque quasi Medici Visitatione fiat, nec morbus in languorem extendatur. Quidam Æsculapium exoptant βροτολοιγὸν, ut suos claudos, cæcos, surdos, mutos, paralyticos, epilepticos, fatuos, pauperes, prodigos, ebriosos, luxuriæ vel furacitati deditos, divites &c. maritos, uxores, parentes, liberos, fratres, consangnineos &c. trucidet, ipsosque ab his liberet, divitum verò brevi hæredes faciat. Contrarium si eveniat ægerque restituatur, invitis illis te curasse comperies, atque à morosis restitutorum consanguineis tandem vix pensionem emendicabis.

Fertilior enim seges est alieno semper in arvo, Vicinumque pecus grandius uber habet.

De quibusdam, tam viventibus quam defunctis, opinionum Heröibus, multi semper delirant; hæc eorum Oracula, hosqueDivos testantur! Nec quivis alius, licet optimè faciendo, adeò placebit, eorumque gratiam captabit. Hæc vel similis, tam grata ac marito suæ uxoris de suo defuncto marito cantilena, in tui vituperium tibi semper audienda est: *Hoc illudve piæ memoriæ van der Straten, Geesteranus, &c. &c. dixit, affirmavit, præscripsit.* Sed an ergo verissimum, absolutissimum, optimum, aliorumque Medicorum dicta & facta superans? Nego, atque id multò est falsissimum, quod eorum dicta & scripta perscrutanti, si nulla præjudiciorum gravedine modò laboret, facilè patebit. Sordida avaritia, ut ubicunque, sic hic quoque primas tenet: inveniuntur enim homines, qui utut ægrotantes præ avaritiâ

Me-

Medicum & Medicamenta negligunt, faciliusque multò veterinarium ad ſuum ægrotantem equum bovem vel canem accerſent, quam ad ſeipſos morbo detentos Medicum. Avaritiam tamen ſuam excuſant quidam, prætexendo à Medicamentis averſationem: ſed hoc in plurimis falſum eſſe ex eo liquet, quod iidem illi Medicorum Medicamentorumque reformidatores ſubindè virulentum aliquod minutal clam ex unius vel alterius Agyrtæ officinulâ allatum, ſi ſolum teruncio ematur, devorent, ſeſeque, ut aſſem lucrentur, aperto vitæ diſcrimini exponant. Sequitur fidelis avaritiæ ſoboles ac ſocia, meritorum oblita ingratitudo, cujus effigiem, quatenus ad Medicinam pertinet, Antiqui facetè admodum ſub formâ Dei, Angeli, Hominis, & Diaboli, adumbrarunt. Placuit igitur ſubſcriptos tabularum verſiculos, tam propter leporem quam propter tyrones, qui tabulas forſan nunquam viderint, licet ſatis invito, hic deſcribere.

Dum nigris ægrum prope mors circumvolat alis,
Funeſtamque aciem jam fera jamque parat,
Tum me promiſſis beat & domus omnis adorat,
Tum vocat immenſum me venerata DEUM.

Accipe cum dolet; poſt curam Medicus olet.

Paulum ubi convaluit; paulum me numine noſtro
Ceſſit, & in noſtris auribus iſta ſonant:
Tu Cœlo nobis demiſſus es ANGELUS alto,
Præmia quæ veſtri & quanta laboris erunt.

Cum dicant Ay mi, dic Tu da mi.

Jamque Machaonia magis & magis arte levatus
Cum ſedet ante focum progrediturque tripes.
O HOMO! non fruſtra tantos ſubiiſſe labores
Noſces; quod reſtat, tu modò tolle malum.

Exige dum dolor eſt, nam poſtquam pœna receſſit: Audebit Sanus dicere, multa dedi.

Aſt

Ast ego si penitus jam sanum præmia poscam,
Ille DEUS pridem mox CACODÆMON ero.
Cautior exemplo tu dum dolet accipe nostro,
Qui Medicæ exerces gnaviter artis opus.

An hic Typus jam suo Archetypo quadret nec ne, omnibus Medicinæ practicis dijudicandum trado, nil hærens, quin ad unum omnes eum authenticum verissimumque profiteantur. Quænam quæso ipsis promptior ad pecuniam exigentem Medicum responsio? *Tantumne tibi pro aliquantulo alvum sudoresve movente? (his enim duobus universam Medicinam definiunt.) Tantumne pro tuis visitationibus deberem? Nullo modo Catapotia tua (quorum similia in foro uno triente emere queo) non sumpsi, evomui &c. & vicinus noster Medicus N. N. pro tribus suos ægros visitat assibus, igitur nec tibi quoque plus dare volo. Sed quando? post unum alterumve annum, & quid si tum peto? ad Kalendas Græcas.* Hinc profecto sæpius ab horum non ignaris nostrarumque rerum misertis Studiosis Anglis me audivisse memini, quod vellent potius in regione patriâ veteramentarium sutorem quam hic Medicum agere, & si illi nobis non honestiores liberalioresque haberentur & pro unico solido sive 6. stuverorum nummulo ipsis ægrotantes visitandi forent, nunquam ex Angliâ se huc propter tam viliter hic habita studia medica appulsuros. Et mehercle dolendum est, quod cum Jurisperito pro consilio 6. solidi, Medico vix unus persolvatur: & sic bona, licet contrarium quondam attestante Satana, sanitati vitæque præferantur. Tertia Vulgi in Medicina erroris causa duram ærisque inopem egestatem radicem agnoscit. Mul-

Hiob. Cap. 2. v. 4. pellem pro pelle & cuncta quæ habet homo dabit pro vita suâ.

Multi enim accepti beneficii ſatis eſſent memores, ſi apud ipſos non daretur vacuum, ſæpiſſimèque algeret nudo clauſa culina foco, nec tam ablativo quam St. Pecuniâ carerent. Quod tamen non adeò mirandum, quoniam nuperâ tabe bellicâ multæ quondam ex ſuis facultatibus manuumve mercede honeſtè ſubſiſtentes familiæ jam adeò depauperatæ ſint, ut ſibi ſuiſque vix victum amictumque habeant, & ad nummariam gratiam referendam prorſus impares ſint. Intereà tamen Poliatros, ſive publico ſtipendio à Magiſtratu dotatos pauperum Medicos, accerſere erubeſcunt, & privatum vocare malunt, non tamen ut quidem deceret morbi principio, ſed cum jam in augmento vel ſtatu eſt, vel etiam ad interitum vergit laborantis; qui ſi prima ſecundave Medici viſitatione etiam non proficiat in melius, nec vitam cum morte commutet, denuo Medicum dimittunt ſuam ſortem deplorantes, quodque ſupereſt Divinæ providentiæ committentes. Vellent è contrariò divites, ſi tantum per ſomnium de morbo cogitent, ut Medicus tempore quovis importuniſſimo ad ipſos advolaret, retardante interim aliquandò dudum ſatis tot exantlatorum laborum ſtipendio.

Irrepſit quarta erroris vulgi in arte Medicâ cauſa ab iis qui ut in omnibus ſic quoque in morbis inevitabile Fatum aſtruant, urgentes Deum æterno abſoluto & immutabili conſilio ſemel conſtituiſſe, quandò & quo mortis genere quiſque interiturus ſit, & cum Turcis ſibi perſuadentes, certum ſingulis deſtinatum eſſe pereundi modum, aut fame, aut bello, aut aquis, aut ſuſpendio, aut morbo, aut ætate, ita ut ulterius vita prorogari non poſſet; & ſi quiſpiam etiam forſan Medicorum aut adſtantium errore perierit, illos excuſant, quod impoſſibile ſit hominem ſervare, quem

Fatum à fando dictum, quaſi Deorum decretum.

De frivolè prædestinationem prætexeutibus.

Itali nullos ex suspectis peste locis advenas, licet sanissimos & Principes, neque eorum sarcinas, merces &c. admittunt in suasque urbes recipiunt, nisi post quadragesimum ab exitu è tali loco diem, (quem quarantaine vocant) certissimum judicantes, eum, qui per quadraginta dies continuos extra locum infectum sanus vixerit, nullo contagio infectum esse: qui ordo nobis quondam etiam in itinere Germanico aliquo modo molestus fuit.

2. Par. Cap. 16. vers. 12.

Deus ad se vocat. Quæ per hanc sequelam absurda sententia favet plurimum Medicinæ contemptoribus atque Medicastris; eâque è contrario Medicorum Medicamentorumque delectus tollitur, nec sic refert cuinam, docto an indocto, experto an rudi, vita hominis committatur, cum moriendum necessariò illi fuerit, quem salutiferorum remediorum despectus atque neglectus, Medicastrorum aut adstantium temeritas, vel ignorantia, aliusve casus sustulit. Hinc etiam in genere uti Medicos & Medicamenta contemnunt, sic se, nec morbos licet periculosissimos, V. Gr. pestem nec mortem reformidare, temerariâ quadâm pietate gloriantur. Alios homini Christiano admodum incongruæ increpant inconstantiæ, desperationis, mortisque horroris; Italorum etiam ita dictos sanitatis Magistratus & leges incredulitatem diffidentiam & atheismum sapere volunt; nec ad instar Regis Azæ se unquam Medicis confisuros declarant. Quæ omnia quam bella & bona videantur, mihi quam potero breviter, refellenda sunt: omissis tamen iis quæ animæ salutem spectant, solum de salute corporis agemus. Itaque dudum agitatam de Stoicorum mobili vel immobili fato, seu Christianorum æterno, immutabili, absoluto vel hypothetico consilio seu decreto Divino cum consequentiis, scilicet an tum frustrà essent admonitiones, hortationes, leges, præmia, supplicia, remedia nec ne, disputationem (si hæc paucula sequentia excipias) intactam relinquens, ad rerum causas secundarias, quarum ope quasi mediis Deus solet operari, & quibus nisi quispiam utatur præmaturam sibi mortem accersit, me converto. Videlicet Deus in suo decreto neminem ad finem prædestinavit, quin etiam ipsum ad media ordinaverit, per quæ finis acquiri debeat: quos delegit ad salutem iis

in

in tempore quoque decrevit dare fidem, conversionem, in justo & bono perseverantiam ad finem usque, & porrò omnia quæ ad salutem necessaria sunt &c. Similiter ad salutem corpoream, vitam vel mortem, comprobat quotidianus rerum eventus, quod si quis æger medicum & remedia negligat aut malis utatur moriatur, è contra si docto medico remediisque bonis & suo tempore administratis, convalescat. Porro, ut cum mortem reformidantibus Sanctis, Abrahamo, Mose, Davide, Elia, &c. matura fugâ licet, imo necesse est, pericula famis, belli, aquæ, ignis, quæ Deus in facinorum nostrorum supplicium immittit, imo pestis, si commodè per officia poterit, evitare; sic non minus licitum, imò necesse est morbis medicas adhibere manus. Qui hæc spernit, remediorum Autorem Deum contemnit & tentat, & ut pericula provocans istis peribit: propriæ enim necis conscius censeri debet, qui sese præsenti periculo objicit. Vitam quam longissimam Deus nobis in benedictionem pollicetur: licebit igitur eam omni arte ab imminenti periculo præservare. Ideo ratio homini data est, ut non immediatum Dei auxilium sibi polliceatur, sed mediis quæ constituit & creavit prudenter & cum ratione utatur. Non pollicetur ars medica vitam perennem: medicinam facimus, non ut mortem inevitabilem evitemus, sed ut eam integra sanitate exspectemus: usque adeòne mori, miserum. Minimè enim nos Reformati ii sumus, ex quorum religionis principiis omnis usus medicinæ tollatur. Absit enim, absit, ut Deo Opt. Max. consilia tribuamus cum exclusione mediorum executionis, iisdem consiliis Divinis sapientissima ratione simul ordinatorum. Credimus Deum, quorum vitam hic aliquandiu conservare decrevit, illis omnibus etiam media præordinasse,

Medicorum medicamentorumque contemptores sua vulgata calumniâ, Ik wil mijn eygen dood sterven/ in scopulos impietatis impingunt.

Juxta Versiculum: Hæc tria tabificam tollunt adverbia pestem, Mox, longè, tardè, cede, recede, redi.

Qui amat periculum, peribit in eo. Jesus Syrach.

per quæ secundum communem saltem quem servare solet ordinem agendi illud effectui dat, & ad eum ætatis terminum ipsos perducit, quem semel ipsis fixit: atque hinc, licet ea connexio non sit semper certa mediorum conservandæ hujus vitæ cum ipsa vitâ, quæ est salutis &c. mediorum infallibilium salutis, officium hominis esse, mediis & remediis, quibus Deus juxta dispositionem consilii sui vitam hominis solet conservare, uti, eventu non tantum Deo commisso, sed etiam, si mediis illis utatur in timore Dei, eventu salutari, quomodocunque cadat, ab ipso exspectato.

Quendam novi, qui Pontificium Medicum præferebat Reformato. Quasi vero, nullum alium quam mobile & hypotheticum igitur, herbis verbisque prorogandum, agnoscentes decretum Pontificii præ immutabilem & inevitabilem prædestinationem statuentibus Reformatis, morborum curationibus toto pectore incumberent.

Tandem enim exhaustis ultimo senio vitæ principiis satis cedendum est, ita volente naturæ conditore; hanc mortem prohibere nulla ars potest. Interim tamen nullum excusat, cujus ignorantiæ & negligentiæ culpa pravisque remediis æger interit: sed prææmaturæ, quam morbi aliique casus accersunt, morti prudens peritusque Medicus obviam vadit, & salutaribus præsidiis legitimè adhibitis vitam jam fermè abeuntem revocat in præcordia, ita ut anticipantem sic mortem differre aliquatenus dici possit. Ex quibus omnibus concludere possumus, quod etiamsi homo ignoret Divinum de suo extremo & inevitabili vitæ termino Consilium, non magis tamen, ne propriæ mortis reus efficiatur, legitima & ordinata in morbis &c. ad recuperandam sanitatem media negligere debeat, quam cibum & potum, victum & amictum, ad conservandam vitam.

Dædalus hic sit, non Icarus, terræque legat confinia non cœli, in futuris caligans vermiculus terrestris.

Præterea sicut male faciunt, qui cum prædicto Rege Asâ nimium confidunt Dei instrumento Medico, & interim instrumenti Creatorem ac directorem negligunt; sic ab altera parte non minus malè, vel potius satis im-

impiè, aut saltem valdè stolidè faciunt, qui Medicinam omninò negligunt & per malevolentiam invidiam aut contemptum malè de ea loquuntur, nec quidquam salutare ab ea procedere posse arbitrantur, sed à solo Deo morborum sanationem, nullis remediis adhibitis, exspectandam esse existimant.

Falsum est ipsos Medicos ægrotantes nulla assumere medicamenta.

Tandem quadam quasi retorsione quidam ipsos Medicos contemptus auxiliorum in morbis accusant, dicentes, quod cum cæteræ artes vel scientiæ ab nullo alio quam ab ignorante despiciantur, hæc ars insuper ab ipsis artificibus Medicis odio habeatur; quoniam illi ipsi ægrotantes remedia, quæ tam immodicè aliis semper commendare satagunt, ipsi negligant. Hæc & similia sæpius audivi, nequaquam tamen veritati congrua; & licet in paucissimis delicatulis & nauseabundis Medicis, uti in aliis hominibus, non ex odio in benedicta remedia sed ex singulari quadam antipathiâ vera essent, in plurimis aliis tamen multò falsissima esse, lippis tonsoribusque notum est.

Livor inter Medicos sceptrum tenet.

Accedo quintò ac ultimò ad Medicorum inter se invicem mordacem invidiam, quæ hic inprimis, si unquam alibi, sceptrum tenet; non enim ut inter alios socios duntaxat, hic mendicus in mendicum quadantenus accenditur, sed opinionum Heroës alios non aliter, ac olim Johanna Navarræ Regina Philippi Pulchri Regis Galliæ uxor fœminas Brugenses, intuentur. Ingressa hæc Brugas A° 1301. & intuita fœminarum in forma præstantiam & in amictu luxum, fœminino quodam livore plena exclamavit: *Ego me solam Reginam esse arbitrata; sexcentas heic conspicio:* Unusquisque etiam tam fortunatorum morionum se solum Medicum esse & recte sapere putat, cæterorumque Medicorum vulgus, licet inter illos sexcenti

ipsos longè superantes invenirentur, ut ignarum aspernatur, fœdo livore, & ferè Vatiniano atque ad Theologis tribui solitum accedente odio iterum hos præsules & se invicem insectantur varii mutabilisque vulgi opinione & favore privati fratres minores. Afferti mei multa exempla ubicunque in propatulo sunt, ex quibus, ut brevis sim, tantum sequens generale (ut privatarum personarum nomini & famæ parcatur) eligam, cætera sicco pede transeundo. Quidam homines tenaciter cuidam Medico, quem suum vocant, & qui ut loquuntur, eorum naturam novit, vel cui quodam respectu vel commodo devincti sunt, adhærent. Alii è contrà inconstanter hunc dimittunt aliumque accersunt, imò ferè in singulis ipsis supervenientibus morbis alium vocant Medicum; qui ultimus, licet cum primo comparatus, indoctus & bliteus sit, nihilominus, quod primus S. A. fecerit, statim hic adulator, inaudito ac inconsulto primo (quod pœnâ dignum) ut hominum gratiam captet suaque commendet, improbabit, atque ex vasto auxiliorum oceano, ut videatur quid novi produxisse, aliquid aliud, forsan nugacissimum, ad decipiendum populum præscribet, & si tum, fortè morbo jam anteà primi Medici remediis ad declinationem vergente, æger in melius proficiat, magnus hic bardus salutatur Apollo, restitantibus primo, probo, docto, ac perito, & cui unicè hocce beneficium acceptum haberent referendum, non nisi meris probris atque convitiis; quæ impudentia & arrogantia hodiè in immensum excrevit in artis artificumque contemptum. Quibus insuper in malorum cumulum accedit, quod stolida plebs in hisce suis erga probos Medicos erroribus ab his Thrasonibus, utplurimum famâ Medicis, in suum proprium commodum vulgique

que detrimentum assiduè foveatur & justificetur. Hisce denique omnibus, ut huic Capiti finem imponam, probè consideratis & inter se collatis, nunquam satis admirari licet, tam conspicuam præstantissimorum Juvenum nostratum catervam (ad nobilissimos exteros verò, quibus omnia lætiora domi, hæc non pertinent) tam despicatam hodiè parumque fructuosam Medicinam adhuc amplecti, nec potius quodvis aliud, melius vitam profitentis sustentare potens negotium, pragma, artemque mechanicam, quam tam humiliatam hodie suique veteris encomii, *dat Galenus opes*, dudum oblitam artem Medicam, suscipere. Nam veluti ab unâ parte in nostris oris paucissimi Medici, licet opinionum vulgi possessores sint, vix suâ praxi ægrotantium defectu sibi victum amictumque parant; sic ab altera prætereà cum populi erroribus, præjudicio, avaritia & ingratitudine, popelli egestate, deliris fœminis, plumbeis myropolis, nasutulis barbitonsoribus, audacissimis agyrtis, ex Medicorum belgico idiomate exaratis libris sapientibus plebejis, ipsisque sciolis vel bardis, pro tribus stuveris vel nihilo ægros visitantibus tuis lividis collegis, præsertim cum longè latèque in hominum opiniones dominantibus famâ Medicis, tibi jugiter atque ad nauseam colluctandum est.

Hodie quivis mercator officinarius vel mechanicus commodius ac honestius sibi ex suo negotio alimoniam comparat, quam Medicus ex praxi medicâ.

Sed hæc quoque spes avida, in jam jam inchoando novo & forsan faustiori quam præsens fuit sæculo, vel in magnatum consanguineorumque favoribus, vel ad opinionum Heroüm hortos Adonidis videlicet honoris fastigium & facultatum cumulum pertingendi, superare potest.

CAPUT XII.

De tuendâ bonâ valetudine, per rectam vivendi normam, usumque moderatum rerum ad feliciter vivendum necessariarum.

Si unquam alibi, in hanc Medicinæ *de Conservandâ Sanitate* partem investiganti vanitatum Ilias obviat, quæ explicatis nugarum cortinis protinus propriam vilitatem proditura in scenam comparet, ita ut omnibus attendentibus discernere perquam facile sit, sit ne hæc res tanti, quanti ipsam fecerit antiquitas? Pluribus negativam arrisuram non dubito, licet veteres (inscii, *quod faciendi plures libros nullus sit finis, frequensque meditatio carnis afflictio sit.*) sese in probando contrario ingentibus de hac materiâ conscriptis voluminibus delassarint, & hæc fila tam subtilia duxerint, ut alicui, ne his tricis irretiatur, non minus Ariadnæo filo opus sit: quod quoniam ego non habeo, eminus solummodò quædam principalia, & quorum cognitione humanæ valetudinis curam gesturis præprimis opus est, perlustrabo. Singulas igitur Ὑγιεινῆς minutias considerare nefas; sufficiet ex hac in tritâ Medicinæ divisione parte quartâ, & *sex* Medicis *res non naturales* dictas, *Aërem* videlicet, *Alimenta*, Corporis *Exercitium vel Otium*, *Somnum & Vigiliam*, *Animi Pathemata*, *Excreta & Retenta*, complectente, paucula carptim ac oscitanter ad finem jam festinanti annotasse. Primò *aërem ventosque*, & quinam magis vel minus boni, optimi vel pessimi sint, quod attinet: hic in antecessum mihi est dicendum, quod in genere bene dispositus & benignus maligno, purus effluviis tel-

Eccles. XII. vers. 12.

De aëre.

telluris, maris, aliorumque corporum inquinato, sit præferendus. Quantum ad *ventos* quoque, haud parum interest, an mare, an terram, hancque amænis flosculis lætabundam cadaveribusve squallidam, an lacus, paludes, an rivos & flumina transmeent: naturæ quippe ruspatores austrum marinum salubrem, boream à mari suspectum à terra sanum perhibent, quod spirante austro mare lucidum, flante boreâ atrius observent. Alioquin mihi *cuique sano suus patrius maximè congruus videtur*. Quoniam consueta longo tempore etsi deteriora insuetis minus molesta sunt, consuetudoque quasi natura adscitia est. Quo sic posito prosternitur fictum tot dissentientium opinionum *de aëris ventorumque qualitatibus* monstrum; sive ille illique verò puri vel impuri, humidi vel sicci, frigidi vel calidi &c. sint, singulisque anni temporibus mutentur, dummodo semper & eodem modo sese habeant, uniuscujusque Regionis Incolis Polaribus, Æquinoctialibus, Montanis, Insulanis, Paludicolis, Urbanis, Agrestibus, ipsisque Metallicis, (licet fodinæ sæpe malignos vapores exhalent,) salubres satis bonique sunt. Dixi *cuique sano*; quoniam ægrotantibus aëris anni locique mutatio interdum aliquid emolumenti attulit. Quod à consuetis porro minor sit læsio, probant rectè valentium in solo patrio, licet advenis insaluberrimo, myriades. Prætereibo vastissima Asiæ, Africæ, Americæque, (magis tamen incolarum penuriâ superstitumque acediâ, quam Aëris, Terræ, Ventorumque ibidem pravitate) deserta, ad littora vicinæ nobis Zelandiæ experiundi gratiâ appulsurus, à quâ iterum vix anchoram sustuli, quin febriculam, non indigenis, sed peregrinis ibidem endemiam, habuerim comitem. Amstelodamum Londinumque cingens aër plurimis

Patrius cuique sano satis aptus est.

Hipp. sect. II. Aph. 50.

peregrinis, ſaltem principio, ſatis moleſtus eſt. Idem cum diætâ ex Septentrionali Europa in Galliis commorantibus viatoribus Germanis, Belgis, &c. pro fauſto adventu Scabiem Francicam (Gallis *la Galle*) largè illa donat: à qua tamen, quod benè notandum, incolæ & jam aliquo tempore ibidem aſſueti adventores planè non afficiuntur.

Etiamſi Conſtantinopolis Thraciæ & Memphis Ægypti (hodiè *grand Kairo*) nunquam à peſte immunes ſint, ex huic infecto aëri aſſuetis oppidanis pauciſſimi tamen moriuntur. Docent præterea infinita exempla humanam naturam ita venenis, ut tandem nihil noceant, aſſueſcere poſſe. Sic ego quoſdam novi, qui exorſi cum granulo, poſteà duas integras Opii crudi dragmas innoxiè devorarent; alios, qui tantumdem Jalappæ vel dragmam Dyagridii deglutiebant, & Fallopius Ferrariæ ſe noviſſe quendam Germanum ſtudioſum ſcribit, qui Scammonii unciam integram citrà alvi laxationem vorabat. Quis ignorat, vino perpetim madentes bibaculos tabacique fumiſlones & perennes ſuctores, jam Baccho fumoque quaſi conditos & tamen valentes? Et noſtratibus vellerum glabronibus cadaveroſam vellerum mephitidem, & latrinarum cloacarumque purgatoribus virulentos oleti fœtores ad inſtar Ambræ vel Moſchi eſſe. Tandem *confert ad aëris ſalubritatem, ut ſemper eodem modo ſeſe habeat*, atque ſubſequentes anni eorumque tempora & tempeſtates ſibi invicem ſimiles ſint. *Omnis ſubita mutatio periculoſa*; etſi ſæpius dum Francofurti ad Mœnum habitarem piſtorum famulos aſperrima hieme ſolum induſio caligiſque veſtitos, & ex his illiſque civium ædibus ab ſubigendâ ibidem farinâ reduces ſudoribuſque diffluentes, abſque ullo ſanitatis de-

Tractat. Simpl. purgant. Cap. XLVIII.

Vulgo Plooters.

Hipp. Sect. 31. Aph 51.

detrimento per plateas incedentes cum ſtupore viderim. Progredior ad *Alimenta, Cibum & Potum*, quæ ut ut vulgaria tot claſſibus diviſionibus & ſubdiviſionibus, ſunt ſtipata, ut ſimplex eorum nominum catalogus legentibus oneri ſit; eoque minus mihi libeat de eorum qualitatibus & tempore utendi, tam in ſanis quam in ægris & neutris, prægnantibus, infantibus, mediæ ætatis hominibus, & ſenibus, & quibus ratione temporum, locorum, ciborum generum, exercitationum, laborum &c. plenior, quibus tenuior victus conveniat, & quæ hujus farinæ plura ſint, ut quidam præcisè metiri conati ſunt, ſingulatim tractare. Sufficiet hic iterum ſano ut in reliquis aliis conſuetudini, cujus in vitæ inſtituto vis maxime elucet, litare, ſecundum verſiculum,

De Cibo & potu.

Hipp. Lib. de Veter. Med. Nec modum, nec pondus, nec numerum cognoſci poſſe, nec aliam certitudinem reperiri, quam corporis ſenſum.

Omnibus aſſuetam jubeo ſervare diætam.
Quod ſic eſſe probo, ni ſit mutare neceſſe.

Gal. 2. Aphor. 27. Eam quantitatem eſſe exhibendam, quæ ventriculum non gravet.

aureamque mediocritatis regulam & ſequens Celſi præceptum obſervare atque in pretio habere: *Sanus homo, inquit, & qui ſuæ ſpontis eſt, nullis obligare ſe legibus debet, neque Medico neque Jatralipta egere. Hunc oportet 1° habere varium vitæ genus 2° modo largius ſeſe invitare, 3° nullum cibi genus recuſare quo populus utatur, 4° ſemper plurimum ſumere, modo hunc concoquat.* Quæ maximè conſideranda ſunt. Nam qui ſani ſcrupuloſè nimis ex Medicorum præceptis vivunt, miſerè vivunt, & Medici, qui tam exactè regulas diætæ quibuſdam ſanis præſcribunt, contra ipſam artem peccant, quæ nullas determinat, præter hanc, non ſatiari cibis, & impigrum eſſe ad labores.

Victus indicatur à viribus, vires autem indicant

ſui conſervationem ; at victus ad pondo & menſuram vires non conſervat, ſed imminuit & debiles valetudinarioſque facit ; hinc homines qui quotidiè in diæta peccant vulgò ſaniores ſunt quam illi meticuloſi, qui ſe ſtrictiſſimè diætæ legibus obligant. In genere potius ea quantitas, qua ventriculus non gravetur, ſumenda, juxta tritum illud Italorum proverbium, *Qui multum edere optat, parum comedat*, hoc eſt parum edendo diu vivet, & ſic multum edet. Semperque ciborum ſimplicitas varietati præferenda : nam uno cibo, eoque ſimpliciſſimo contentum eſſe, maximum eſt ſanitatis præſidium. Neque ullum cibi genus, quo populus utitur, unquam recuſandum eſt : magis enim deplorandi quam invidendi ſunt illi delicatuli, qui utplurimum abſque apperitu diſcumbunt, nil niſi exquiſita, ſplendidè venundata, vel ex diſtantiſſimis regionibns exportata æſtimantes. Ut ſemper tamen propriæ ſanitatis amans memor ſit velim, medium ſemper tenuiſſe beatos : nam omne nimium vertitur in vitium, & naturæ eſt inimicum. Hæc qui flocci pendunt, ſuæ ipſius ſalutis proditores ſunt, & peſſimo victus genere ſanitatem decoquunt : alter alterum in vitia trudendo, & priores malè iter ingreſſos pecudum more, non qua eundum eſt, ſed qua itur ſequendo, alienis ſe perdunt exemplis, quod enim ab aliis geri vident, id ſibi normam vitæ rentur ac præfigunt, ab eoque ne latum quidem unguem diſcedunt. Sardanapali exemplo, vivunt ut edant, non edunt ut vivant, & ſic gulæ cauſa maxima pars mortalium vivit, & perit miſerè : nam Diogeniano ſuffragio, *ex iis ægrotamus ex quibus vivimus*. Hic ſpeciatim plurimum delinquere ſolent appetitui potius quam rectæ rationi auſcultantes pueri & fœminæ

Hipp. S. II. Aph. 51.

ſine

ſine delectu obvia quævis palato arridentia ingurgitantes.

Quamvis tot leges diæteticas circa alimentorum, temporis ſumendi, &c. delectum, quibus antiquitas humanum genus devincire conata eſt, flocci pendam, curſim tamen & quaſi in tranſitu unam alteramve digito quaſi indicabo.

Admodum, ſaltem meo judicio, pro ſingulis anni temporibus convenientem victus rationem, in his verſiculis Schola Salernitana vivis coloribus depingit:

Temporibus Veris modicum prandere juberis;
Sed calor Æſtatis dapibus nocet immoderatis,
Autumni fructus caveas ne ſint tibi luctus
De menſâ ſume quantum vis tempore Brumæ.

Hipp. S. 1. Aph. 15. Ventres hyeme ſunt calidiores.

Sed quandò & quoties in die & utrum uberius quidem prandendum, parcius vero cœnandum ſit, ſecundum ejuſdem Scholæ præceptum docet.

Ex magna cœnâ ſtomacho fit maxima pœna.
Ut ſis nocte levis, ſit tibi cœna brevis.

Hæc rurſum à ſingularum gentium conſuetudine dependent; quarum quædam, duce natura, nullaque temporis ratione habita, cum eſuriunt veſcuntur aliæ certis horis jentant, prandent, cœnant, placentibus unicuique ſuæ patriæ præ alienis moribus, tametſi inter politiores Europæ Nationes hanc magnæ cœnæ pœnam nullam non ſæpius ſuo damno expertam fuiſſe crediderim.

Sintne jam fructus & olera carne, hæc piſcibus, vel vice verſa ad paſtum magis apta? nugaciſſima quæſtio eſt: ſanis enim omnia ſana. Et quondam, ut Poë-

Prima omnium ætate fructus erant homini pro pane, aqua pro vino, & forsan idem alimentum atque bovi & equo Hippocr. Lib. de Veter. Med,

tarum fabulæ perhibent, glande victitantes Protoplasti, jam strumis infames Suevi montani & Tyrolenses caseoso pressoque lactis coagulo; piscariæ & navigationi incumbentes Oceani Septentrionalis littorium Accolæ piscibus tam recentibus quam salitis; admodum senescentes Yslandi frigore ventisque arefactis asellis; Utriusque Indiæ ac Africæ Paganæ multitudo quarundam arborum radicibus; æque læti ac sani, quam panis helluones Galli, carnis Angli, lardi Hispani &c. vixerunt vivuntque hodie. Qui his verissimis, licet contra conscientiam, adhuc refragari audent impetuosè, volunt carnem in genere, quia majorem cum humano corpore similitudinem ducere videtur, magis cæteris omnibus alimentis nutrire. Sed his, ut mihi dicant, regero, unde veniat, quod grani ac graminivora animalia æquè benè ac carnivora valeant, exsuccumque fœnum non minus ac illa carnem, hominesque diversissimarum dapum ferculorumque myriades, in suum proprium succum carnemque vertant. Ne autem in profliganda inter alimenta omni prærogativa, & in supprimenda luxuriæ prole cupediarum nimirum æstimatione, omnia edulia quæ humana petulantia & luxus excogitarunt æque probare videar, quædam censoribus ratione & experientia exauctorare cogor: ut ex animalibus *Ostreas, Limaces, ex lacteo accipenseris* Moscovitici *Compositum* &c. ineptissimos nuper ex Indiis allatos sed cachinno dignos *Avicularum Nidulos*; ex vegetabilibus *Cucumeres* atque Pauli Secundi Pontif. Max. triumque Imperatorum Germanorum Frederici scilicet III. Henrici VII. & Alberti Austriaci nece infames *Melones;* Claudii Imperatoris cæde per Imperatricem Agrippinam infamatos *Fungos*, & mille alia linguam palatumque

In Borealibus Europæ partibus nullum est frequentius edulium, quam pisces siccati, qui ibidem panis vicem supplent.

Vulgò Kawiard.

Testibus Platina & Munstero in Cosmograph.

que quidem titillantia; sed ventriculum lædentia & per consequens Secundæ Coctioni perniciosa, quæ lurconum glutonumque grex in humanæ valetudinis ruinam excogitavit. Convitia autem, quæ nugax ætas in innocentem caseum displosit, veluti quod optimum sit deterrimum nulliusque utilitatis, vel quod misello caseo pauxillum exorabilius sonat, *Caseus ille bonus quem dat avara manus*, flocci pendens, sicco pede transibo: in transitu tamen generale alimentorum condimentum *Sal*, hoc præconio salutaturus, *Non sapit esca probè, quæ datur absque sale*. Sequentem simul Pontificiâ longè viliorem indulgentiam Acetariorum amatoribus concedam: *utere Lactucis & mollibus utere Malvis*. Cæterum *crudarum carnium ferculis gelidæque haustibus* admodum paucos hodiè delectatos iri reor: præterea quod hæc Anthropophagica epula communi politiorum gentium consensui, invito commendatore *Bontekoe*, refragentur. Tandem si cibus vires gravet, corrigatur inediâ, somno, quiete, & si hæc non sufficiant, humorum saburra leniter vomitu eliminetur.

Qui prostratum appetitum acrioribus cibis acuit, is seipsum armat in suum exitium sibique justa facit.

Ad jocosi munera Liberi, Soli sanguinem, potulentorumque facile præcipuum *Vinum*, quo nihil est jucundius quo nihil melius dedit natura hominibus, jam venit ordo. *Merum* Deos hominesque lætificare dicitur, nec immeritò convivii coagulum, lac senum & Veneris, hilaritatisque seminarium nuncupatur, & rectè admodum à S^to^ Paulo suo Timotheo adversus debilem ventriculum multiplicesque infirmitates commendatur. Sed ah! Tartareus abusus regale hoc Dei donum respectu utentium sæpissimè in fœdum Diaboli excrementum convertit. *Vino* enim multi mortales quasi Circæo toxico in sævissimos leones, salacissimos hircos, vel squa-

Judic. IX. v 13.

I Tim. 5. v. 23.

ſqualidiſſimos ſues mutantur. Qui præ cæteris magis vividis coloribus omnia depingere ſtudent, hanc vini effigiem tradunt: nempe quod mel quidem ori, ſed fel capiti, voluptatis non neceſſitatis potus, dubius amicus, incentivumque libidinis ſit; (nam *à Libero Patre ad lumbifragam Venerem præceps eſt gradus*) quod ut doloſus luctator cerebrum captet primum, mox ventriculum atque pedes; quod ſplendeat color ejus, ſed ſtatim mordeat ut coluber, & tanquam perniciſſimum deleterium ſuum virus in totum corpus diffundat. Hinc temulentiam ſic Laconicè loquentem quidam introducit Anonymus:

Nullus erat ſævis unquam bellator in armis,
Qui dederit gelidæ millia plura neci.
Nemo tot impunè cædes, tot funera nemo
Edidit, ac noſtræ ſæpe dedere manus.

Spurium confuſumque ex commixtis Arabibus, Parthis, Saracenis, Mauris, Scytisque Chaos, (hodierni Turcæ) a victis Græcis invito ſuo Legiſlatore Mahumethe, etiam Græcari didicerunt.

Sed quis neſcit, rerum optimarum peſſimum eſſe abuſum, & quod omnia quæ in vini decus ac dedecus vulgò proferantur neutiquam vinum ſed ejus potores tangunt, qui modico, medico, opportunoque, vel incontinenti & luxurioſo, ejus uſu vel abuſu prædicta encomia vel convitia per ſe nobiliſſimo & innocenti latici acquiſiverunt. Hoc duntaxat ſummè deplorandum eſt, quod contra ingentes omnium regionum ac nationum temulentorum exercitus, vix manipulus abſtemiorum olim Naſiræorum Rechabitarumque inſtitutum regulamque ſequens inveniatur: nam quamvis mundi deceptor, Sanctorumque Prophetarum ſimia Mahúmethes ſuis Turcis vini potum prohibuit, non ceſſant tamen Barbari, teſtibus hiſtoriis & viatoribus, clam ſe vino obruere jugiterque mero madere. Sed

ne tam arduum, tam domesticum, tam inveteratum adeo malum, cui plurimi à teneris assueverint, animis callo quasi obducto inveteratis, ad imas usque fibras evellere, propositique mei limites excedere, meamque falçem in Theologorum messem injicere videar, hæc missa faciam, atque ad vinum cæterosque potus redeo. Interea mihi penè exciderat tritus semperque in ore combibonum perstrepens jamque perstringendus Schol. Salernit. Versiculus.

Si nocturna tibi noceat potatio vini,
Hoc tu mane bibas iterum, & fuerit Medicina.

Crapulæ videlicet, vel saltem ut ei assuescas. Regium profectò atque ad perdenda vina genitis crapulamque crapula discussuris bibaculis dignum consilium. Perindè enim est, ac si ignem igni addere vellent. Hinc tandem tot tantorumque lerna malorum hos miseros obsidet.

Distinguitur *Vinum* ratione regionis, vetustatis, qualitatis &c. in *Hispanicum*, *Rhenan. Gallic.* &c. *Novellum*, *Hornotic. Bim. Trimum* &c. in *Rubrum*, *Flav. Alb.*&c. *Edentulum*, *Dilutum*, *Pendulum. Forte*, *Fragrans*, *Dulce* &c. juxta versiculum.

Si bona vina cupis, quinque hæc laudantur in illis.
Fortia, formosa, & fragrantia, frigida, frisca.

Vino proximè accedunt *Siceræ* præsertim Gallicæ, cæterorumque fructuum fugacium, *Cerasorum*, *Ribes. Fragor.* &c. succi; quos omnes reliquorum vegetabilium &c. succi & infusiones modo sint fermentabiles, ardentemque spiritum distillando suppeditare queant, E. Gr.

Sachari (ex quo notissimus Americanorum potus, quem Lusitani *Aquadenti*, Nostrates **Kilduivel** appellant) *Mellis, Herbarum Florumque fragrantium oleoque volatili scatentium, Squillarum, Herbarumque littoralium* (ex quibus Indi Orientales suum *Arak* conficiunt) sequuntur. Nec minus *ex Frumentaceis farinæ* (ut transeam *Americanorum ex* quarundam *arborum radicibus manso edentularum in farraceum redactis potum*) *fermentabiles* ac inebriare valentes *potus spiritusque ardentes subministrant*, atque tot, inter se ratione aëris, aquæ, gustus, loci & consequenter nominis diversissimis, vinoque vix inferioribus *Zythis seu Cerevisiis*, initium causamque conferunt.

Unica & sola tamen inter omnes hos prænominatos potus *Aqua sitim restinguere valet*, nullusque adhuc in fructibus succus, vel jam expressus potus, secus quam ratione sui vehiculi, vel si mavis, basis lymphæ, deficiens in animantibus, uti & in vegetabilibus, humidum, (ex quo legitima in animalibus sitis causa) restaurare potest. Reliquum, quod in potulentis visui gustuique gratissimum ac spirituosum, penetranti suo calore & volatilitate intestinum progressivumque sanguinis & per consequens humorum spirituumque motum promovet atque accelerat, quorum tum impetu pororum repagula reserantur, ita ut huic mobili fugacique, multumque humidi sequentibus haustibus reparandum secum rapienti pressori per patula eorum ostiola undique latissimus ad auras pateat exitus.

Sed an Hydropotæ hoc antiquissimo ac simplicissimo, & etiamnum maximæ mortalium parti familiarissimo potu, quoque pergræcari modumque excedere queant, quidam, saltem certâ conditione, negant, plurimi affirmant. Qui negant calidum humidum, licet maxi-

maxima quantitate quotidiè ſumptum, nunquam afficere, ſed contrà ſanguinem ſpiritus & humores in legitima & blandâ circulatione, vel in noxiorum ſuperfluorumque humorum ſecretione confirmare & conſervare ſtatuunt: cui doctrinæ ingens hodierna *Tincturas Theæ Coavæque* jugiter ſorbillantium utriuſque ſexus multitudo confidit. Affirmantium rationes ab eventu dimanant, ab eorundem nimirum potuum multibibis & compotricibus, utpote inter quos haud pauci de veſicæ ac abdominis inflatione & gravitate, appetitu proſtrato, tandem de manuum tremulo motu conquerentes, atque ſic dignas ſuæ credulitatis & incontinentiæ pœnas luentes, paſſim inveniantur.

Tandem de potu in genere dicendum eſt: *Nequid nimis*. Intereà conſuetudini, cujus vi naturæ leges frequenter evincuntur, aliquid dandum.

Alia enim temeti portio Italis, Gallis, Hiſpanis, alia Germanis, Gothis, Helvetis, Muſcovitis &c. convenit; dum nec illorum unus *propter nimium eſt, eſt, mortuus eſt*, ſed plurimi frequentiſſimo ſuo dormi ſecurè, pro pulicum morſibus, ut illorum terminis utar, tandem in æternum obdormiverunt. Sanè hujus vitæ Iſthmus perbrevis eſt, ac velut umbræ tranſitus: ſed noſtra ſæpius, quam naturæ culpâ! Inſuper animi acies vigorque ſupprimitur crapula, & velut luto cœnoque demergitur. Omnis corporis ſagina noverca rationi: velis ergo remiſque, & Jovis quod ajunt quadrigis, fugienda ſobrietatis amatori temulentorum ſocietas. *Abſtine à nimio cibo & vino, ut à te Medici.* Modus omnium optimus juxta Horatianum:

Concedendum aliquid tempeſtati anni, regioni, ætati & conſuetudini Hipp. 1. Aphor. 17.

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines.

Modus pulcherrima virtus.

Exceſſus autem cane pejus & angue ſemper vitandus eſt.

De motu & quiete.

Quod caret alterna requie durabile non est Quod caret alterno motu durabile non est.

Tuendæ valetudini quoque confert, oppositæ quieti legitimâ intercapedine concatenatus atque omne exercitationis genus comprehendens voluntarius *motus*. Multis enim usibus exercitatio ad corporis incalescentiam, ut ciborum Digestioni, Chylificationi, Sanguificationi, Spiritibus excitandis, Solidis corporis partibus roborandis &c. commoda est. Sit tamen mediocris, vel si major propter consuetudinem non afficiens, nec statim à cibo: nam alias exercitationes quæ modum excedunt, vel insolitæ sunt, corpus emaciant & exsiccant; hinc tum flebiles ejusmodi querelæ:

Me quoque debilitat series immensa laborum,
Ante meum tempus cogit & esse senem.

A labore deinceps exercitationeque *quieti* vicissim indulgendum: quod enim caret alternâ requie, durabile non est: *Nam otia corpus alunt, Animus quoque pascitur illis.* Sed cave ne molli desidiâ ignavaque quiete marcescas, quoniam vita deses & sedentaria tandem pituitæ, obstructionum, nephritidis, myriadumque morborum fœcunda mater evadit; prætereà, ut cum Senecâ loquar, otio *paulatim effeminatur animus, atque in similitudinem otii sui & pigritiæ in quâ jacet solvitur.*

Idcircò haud improprie describitur desidia, quod sit suscitabulum cupiditatum, adjutrixque vitiorum. Tenendum igitur diligenter Flacci præceptum.

Fugienda est improba Siren,
Desidia.

De Somno & Vigiliis.

Somnum atque vigiliam summâ cum prudentiâ moderari

rari debet, quisquis valetudinem sartam tectamque tueri desiderat, exploratumque habere, quando & quantum somno vigiliæque indulgere debeat. *Tempus somni* convenientissimum est *vespertinum aut nocturnum* : semperque cavendum, ne statim à cœna ineatur, sed unius, aut duarum horarum intervallo discludatur. Somni *duratio* ex consuetudine, vel ut alii ex ingesti alimenti concoctione digestioneque definienda. Quamvis enim non expediat, ut omnes tantundem dormiant, cum alii promptissimè coquant, alii tardissimè: in genere tamen ferè constat somnum septem vel octo horarum vel circiter esse debere. Hisce tamen nondum contenti graves nugarum Scriptores tertium *quomodò* superaddunt, acriter de situ vel positura corporis in dormiendo altercantes: nam præterquam quod in genere omnes supinum pronumque damnant decubitum; sic in specie hic supra dextrum, alter supra sinistrum latus & vice versa putat somnum inchoandum: uterque longis tœdiosisque à prima secundaque coctione desumptis argumentis suas hypotheses probare conatur. Ego iterum hæc omnia, & quæ de depressiori vel elatiori cervicali utendo nugantur nimis scrupulosi, à consuetudine dependere sentio, nec tamen sum inscius, quod situs alternatim facta permutatio defatigationem non parum sublevet. Ad improbatissimum a quibusdam *Somnum diurnum* sive *meridianum* quod attinet, etiam eum assuetis, ad grandævi licet diurno somno assueti Nestoris exemplum, condonandum opinor, præsertim iis, qui nocturno somno studiis vel negotiis interrupto, citra incommodum per aliquot tempus interdiu obdormiscunt. Porro respondeant *Somno Vigiliæ* : Nam si hæ immodicæ, spiritus animales exhauriunt dissipantque, sensus debilitant & hebetant, vires destruunt, coctionem

disturbant, cruditates atque obstructiones plurimas generant verbo infinitorum gravissimorumque morborum fœcundi parentes evadunt.

De animi passionibus.

Sequuntur toti corpori facilè noxam inferentes sanitatique insidias struentes *Animi passiones* vel Commotiones, quarum principes sunt, *Lætitia*, *Tristitia*, *Ira*, *Amor*, *Odium*, *Invidia*, *Timor*, *Pudor*, *Spes* & *Desperatio*, (qui omnes etiam ad duas amorem & odium reduci possent,) quibus affectibus, si impetuosi violentique atque rationis limites egressi sint, moderatio imperanda, eoque majori studio & curâ, quo corpori anima præstabilior est, hujusque pathemata maximo intervallo momentoque omnibus corporis affectibus quantumvis gravibus præponderant. Ipsum enim *Gaudium*, si immoderatius sit, syncopen animique defectum sæpiusculè creat, aliquibus etiam mortem repentinam inferre potest: sicut Leo X. Pont. Max. audiens Gallos ab urbe Mediolanensi expulsos gaudio expiravit. Matrona quædam Romana, teste Livio, conspecto filio, quem in Cannensi prælio occubuisse audiverat, gaudio sublata est. Idem fatum Dyonisius Senior Siciliæ Tyrannus expertus est. Diagoras Rhodius, Chilo Philosophus, infinitique alii, eodem modo extincti sunt. Nec gaudio è diametro oppositâ *Tristitiâ* haud pauci exanimati sunt; sicut Plinius L. VII. Cap. 36. de Marco Lepido narrat, qui animi ex angore ob repudiatam uxorem, quam deperierat, extinctus est; & de Publio Rutilio, qui ex ingenti dolore interiit, postquam audivisset fratrem à Consulatu repulsum fuisse. Nec exempla quorundam, propter repulsam acceptam mœrore confectorum, etiam nostrâ ætate deficiunt. Si quosdam roges quamobrem mœreant, reddere causam nequeunt, intereà vitam damnant, odio habent homines, mori cupiunt,

piunt, alii contrà mortem pertimeſcunt; quidam ſunt invidi (eſt enim invidia triſtitiæ ſpecies,) avari, tenaces, &c. *Mœrore* videlicet ſanguis parcior è corde manat, ita ut ejus orificia quaſi conſtricta teneantur, hinc malorum συνδρομὴ, ut pulſus tardior, genæ pallentes &c. In brevi furore *Ira* ſanguinis mixtio adeo turbatur, ut in febrilem quaſi degeneret effervеſcentiam, hinc turbulentus ſpirituum motus, ex quo haud rarò convulſiones, deliria, brutaliſque furor exoriuntur; & quanquam ex Irâ quantumvis præcipiti atque violenta rariſſimè quendam derepentè exanimatum eſſe compertum ſit, non rarò tamen morbos difficiles ac immedicabiles induxit, quemadmodum Herculi contigit, morbo ſacro, ob nimiam excandeſcentiam obnoxio: ad hæc pernicioſo quoſdam apoplexiæ inſultu jugulat, ſicut Wenceſlaus Bohemiæ princeps apoplexiâ ex *ira* interiit. Ajacem in mortem egit furor, in furorem *Ira*. Subitaneo atque inſolito *Terrore* ſanguis in momento concentratur, narium hæmorrhagiæ ſiſtuntur, ipſaque catamenia & lochia ilicò præpediuntur, & aliquando mors repentina ſubſequitur, ut luculenta in Hiſtoriâ Sacra Heli & Nabali 1. Sam. iv.
exempla teſtantur. Multi quoque *Timore* ſuffocati ſunt. 18. 1. Sam.
xxv. vers.
Amoris philtro potius inſaniunt, quam moriuntur homi- 39.
nes; præterea turpe ſenilis amor. Quibuſdam germanum bonæ indolis indicium *Pudor* mortem intulit: ut Plinius de Diodoro Dialecto refert, qui pudore interiit, quod ex tempore facetæ cuipiam quæſtioni à Stilpone factæ reſpondere non potuiſſet, & Valerius Max. de Homero, qui ex pudore & animi angore ſublatus eſt in inſula, in qua ænigma à piſcatoribus quibuſdam propoſitum, quid nempe egiſſent piſcationis horam præſtolando, explicare nequiviſſet. Similia ferè atque his analoga de cæteris animi paſſionibus à qui-

buſ-

buſdam annotantur, quæ ne legenti oneri ſint, ſicco pede tranſibo. Alioquin hæc tanta quanta, microcoſmoque ſi modum excedant perniciosiſſima, Animi Pathemata nihilominus reſpectu quodam conſervandæ ſanitati emolumento eſſe poſſunt. Nam ſicut contrarium contrariis curatur, ſic in *Lætitiâ* grato ſpirituum in cerebro nerviſque nec minus blando ſanguinis per corpus motu, idem ille in *Triſtitiâ* valde debilis languidiſſimeque procedens motus propellitur, atque ſic penè ſuffocatus calor naturalis exſuſcitatur, unde tum ex gaudio cor lætificari dicitur. Contra *Triſtitia* iis, qui effuſiori gaudio exultant aut laſciviunt, conducit. *Ira* ingeniis lentis torpentibuſque commoda, quibus nec *Amor* incongruus, inprimis illi, qui peccare oderunt virtutis amore laudandi ſunt. *Timor* temerariis, *Pudor* perfrictis frontibus, *Spes* deſperabundis, *Deſperatio* ſtultâ imaginatione ſemper aureos in propatulo montes ſperantibus convenit. *Odium* ſemper eſt abominandum, niſi peſſimo cuidam adamato opponatur. Ipſa nec atra mordaxque *Invidia* tam aſpernabilis eſſet, ſi dumtaxat in noſtros ſpirituales hoſtes evibraretur, alioquin præſtat inviſum quam invidum eſſe. Tandem ex omnibus illis pathematis præcipuiſque illorum effectibus, liquidiſſimè arctiſſima corporis animæque *Sympathia* (*vinculum, connexio, mutuumque* in reciproca actione & paſſione conſiſtens *commercium*) eluceſcit, utque alterum benè habere neutiquam valeat, malè habente altero.

Omnis igitur violenta rationiſque limites excedens animæ perturbatio intra quandam legitimam mediocritatem rationiſque gyrum coercenda; ſeu S. S. Scripturæ ſeu Philoſophiæ præceptis atque diſciplinâ, ſi ex ignorantia pravaque educatione vel animique imbecilli-

lita-

litate; seu Medicinæ subsidio, si ex humorum vitio corporisque impuritate oriatur.

Timor & *Tristitia* edacesque animi curæ ad Anticyras ablegandæ, strangulat etenim inclusus dolor, certè nihil æque laudabilem viscerum crasin & temperiem immutare & pessundare aptum natum est, quam inordinata victus norma, negotiorum & curarum cumulus, cogitationum seriarum multitudo, lectionum & studiorum contumax assiduitas, animique intentio; nec sit in *Iram* præceps, nec facilè expavescat, sed semper modestæ *hilaritati* indulgeat sanitatis studiosus. Nam *lætitia* sive *gaudium* temperatum neque repentinum ante omnia bonæ valetudini, tam conservandæ quam restituendæ utile atque commodum, juxta versiculos.

Utere convivis non tristibus, utere amicis,
Quos nugæ, & risus, & joca salsa juvant.
Quem non blanda juvent varii modulamina cantus?
Hinc jecur & renes, ægraque corda stupent.
Nam nihil humanas tanta dulcedine mentes
Afficit, ac melicæ nobile vocis opus.
Tange lyram digitis, animi dolor omnis abibit,
Dulcisonum reficit tristia corda melos.

Rebus non naturalibus sive ad sanitatem tuendam necessariis vulgò colophonem imponunt *Excreta* & *Retenta*. Quæ si modum excedant, profundunt succum nutritium, & vitæ gazam (sanguinem) abliguriunt, prout in hæmorrhagiis videre est. Sin verò in defectu peccent, sanguinem reddunt impurum, acrem, & crassum, qui in vasis præsertim capillaribus viscerum, una cum humoribus circulantibus in vasis lymphaticis restagnans chronicos producit morbos. De Excretis & Retentis.

Non minus igitur ac cæteræ res non naturales Excernenda & Retinenda exactum modum postulant, & justo tempore & quantitate debita excussa ad sanitatis conservationem plurimum conferunt. Qua propter singulis matutinis sellam cacatoriam inire, & assumptis ferè cibis æqualem *fæcum quantitatem deponere*, cuique convenit, *Urinæ* quoque ad assumpta liquida proportionatam *quantitatem*, & singulis dum saltem stimulat vicibus, *excernere*, commodum est:

Alvi excrementa quotidiè bis vel semel ejiciantur.

Urina similiter, quoties excerni desiderat, expellenda.

Ne mictum retine, nec comprime fortiter anum.

Retentæ enim urinæ nocumenta, præter multos alios, funesto eventu expertus est Clariss. Astronomus Tycho Brahe, & quidam alii mihi notissimi doctissimi & reverendissimi, quos nominare non est de essentia nostri sermonis. Quantas pariat hæc retentio molestias, nullus credo quin aliquoties in vita non sit expertus, ita ut facile credere fas sit, idem adhuc quotidie experiri in ejus excretione negligentiores. Ipsi licet parvi pensi & contempti harum excretionum ut plurimum comites, vel absque illis ex tempore efflantes flatus, sæpe tantorum evadunt causæ malorum, ut teste Suetonio Claudius Cæsar edictum meditatus sit, quo veniam daret, efflatum crepitumque ventris in convivio emittendi, cum periclitatum quendam præ pudore ex continentia reperisset.

Nam:

Interimit crepitus ventris detentus in alvo,
Et servat, blæsum dum canit ille melos.
Ergo si perimit crepitus, servatque canendo.
Regibus imperium par habet hic crepitus.

Non

Non immeritò igitur veteres ad retrahendos revolventes hoc encomio Semen Fœniculi magni fecerunt.

Semen Fæniculi pellit ſpiracula culi.

Levat quoque ab aſſumptis, exercitiis vel calore ſolis vel foci per cutis glandulas à fervente ſanguine ſeparatus, & per ejusdem cutis poros expulſus *Sudor* naturalis: valde enim meo judicio hallucinantur, qui abſque ratione exiſtimant, *integrè ſanos nunquam ſudare.*

Quantorum non eſt cauſa caputque malorum *Inſenſilis Tranſpiratio* impedita? tantam tamen, quantam illam fecerit libripens ſupputator Sanctorius, ſuffragari nollem.

Aliqua ſanitatis etiam pars eſt, licet levioris ponderis, ſingulis matutinis *nares emungere, caputque pectere*, ut ſuis ſordibus caput cerebrumque expurgentur. *Sputi* quoque *expectoratio* ad pulmones exonerandos procuranda.

Menſtruum in convenienti quantitate & per duos, tres, quatuorve dies fluere debet mulieribus, quæ jam annum XIII. egere & L. nondum tranſiverunt, ſingulis præter propter menſibus, niſi gravidæ ſint aut lactantes, in quibus ut plurimum menſtrui cauſa ceſſat: quaſdam tamen ſeptimo & octavo anno menſtruatas (licet ſub noſtro cœlo quid rari ſit) alias ſexageſimo adhuc menſtruantes, quod frequentius fit, novi. Subinde neque in gravidis neque in nutricibus ſtipatur hoc profluvium: ſed tunc præternaturale eſt, nec ex ipſo utero, ſaltem quoad prægnantes, ſed ab vaſis cervicis uteri vel vaginæ provenit. Suppreſſa vel profuſior & non ſtato tempore (quod tamen minus periculoſum; quoniam in quibuſdam abſque ſanitatis detrimento procraſtinatur

vel anticipatur) fluens hæc menſtrua purgatio, plurimorum graviſſimorum morborum fœcundus fit parens. Jure meritiſſimo igitur ab Hippocrate pronunciatum eſt, morbos omnes (*plurimos*) muliebres ab uteri cacopragiâ enaſci, *aut in utero, aut ab utero;* ſi enim exuperet, Syncope, Animi deliquio, Convulſionibus, Hydrope, aliisque lethalibus ſymptomatis mulier obnoxia eſt: ſi verò præter naturam ſupprimatur, nullum ferè morbi genus eſt, quod ab hujuſmodi cauſa excitari non poſſit: habitum videlicet Cachecticum, Uteri præfocationes, difficilem Reſpirationem, Icterum, Hydropem, Inappetentiam &c. inducere poteſt.

Quantum jam ad quorundam opinione in hoc Microcoſmi ponto æſtus cauſam (*Lunam, Ætherem Lunarem, Lunare Fermentum, Ovidio Lunare Virus*) juxta verſiculum:

Luna vetus vetulas purgat, nova Luna puellas.

Illa, tanquam nobile atque luxuriantis ingenii figmentum, absque damno ſervari vel repudiari poteſt.

Uti virginis mulieriſque nondum effœtæ valetudo ab rita Catameniorum, ſic puerperarum à modico *Lochiorum profluvio* dependet.

Hiſce ſequioris ſexus evacuationibus ferè analogus eſt utrique ſexui præter naturam tamen communis *Hæmorrhoidum fluxus*, cui affectui utpote moleſtiſſimo acerbiſſimo atque planè præternaturali quantum poteſt remediis occurrendum. Errant qui quovis modo eas aperiri patiantur: præſertim inſaniunt, qui hirudines ano admovent. Nam relicto fœculentiori non niſi optimum puriſſimumque eliciunt ſanguinem, & haud raro viroſi quid vulnuſculis imprimunt. Abſtineant etiam ab

ab Aloînis, Abſinthio, ardentibuſque Spiritibus; his fluxionibus vexati.

Sunt & aliæ Evacuationes, ceu *Phlebotomia*, *Purgatio*, *Vomitus*, *Narium hæmorrhagia* &c. quarum idem uti cæterarum manet ſymbolum, *ne quid nimis*. Tollatur abuſus, maneatque à multis ævis inter gentes ſtabilitus utilis uſus, ne cum novatoribus quibuſdam incidas in Scyllam volens vitare Charybdim. Nam ut de cæteris evacuationibus taceam, veluti ab unâ parte, in omnibus morbis confeſtim ad Phlebotomiam advolans tandem Hydropis &c. pœnas luat: ſic ab alterâ, per V. S[ni] infeſtos medentes haud paucos paſſim ſuffocatos, nequaquam dubitandum, Ipſe Phlebotomiæ proſcriptor Autoſophus Helmontius in hunc lapidem cum vitæ jactura impegit, & quaſi proprio ſe jugulavit gladio, dum Pleuriticus Hirci Sanguinem ſibi propinaret, unde in talem æſtum incidiſſe fertur, ut ſuffocatus fuerit: & in Ipſius cadavere adeò adhuc deferbuiſſe ſanguinem, ut aperta ſiniſtrâ cordis cavitate diſſilierit in Chirurgi vultum exæſtuans cruor, perhibetur.

Moderata *Venus* ſanitati conducit, immoderata verò ſanitatem proſternit, corpus emaciat, ſpiritus diſſipat, vitamque mirabiliter abbreviat: ejaculato enim frequentius oeſtro, ſequuntur maximi doloris aculei, qui mentem obtundunt, artuſque omnes & nervos depopulantur, & ſexcentorum morborum dolorumque carnificinâ hos geniture prodigos torquent: verbo, qui tam pretioſum dilapidat oleum, is ſibi ſanguinolentas infert manus. Hinc omnia ſalaciora animalia continentioribus brevioris vitæ ſunt: nec abſque ratione productior noſtrorum majorum prægreſſis ſeculis vita, eorum continentiæ adſcribitur: quibus quadrat peropportunum Nicol. Leoniceni præſtantiſſimi Medici jam an-

De actu venereo ſeu ſeminis evacuatione.

annum 94. agentis reſponſum. Interrogatus, quomodò eam attigiſſet ætatem, tanto vigore firmitateque præditus, liberè reſpondit: *quod caſtam juventutem virili ætati tradidiſſet.* Aurea profectò atque omni laude major reſponſio: utinam ad ima uſque cordis animique penetralia voluptatibus libidinibuſque Venereis, præſertim illicitis propudioſisque exceſſibus deditorum, pertingeret! Sed his brutis inſanioribus jam dudum occalluit animus: nam licet nullum animal ab ſatu ad mortem feſtinet; tamen illi ab natalis ſui exordio, ad præcipitatam vitæ metam, in ſuum ſuapte ſponte ruunt parricidium.

Seminis profuſioni contraria eſt ejus *retentio*, quæ quorundam opinione periculo non vacat; quia retentum putreſcit, veneniqe naturam æmulatur, præſertim in mulieribus, unde juvenes viduæ admodumque maturæ fracidæque virgines hyſtericis paſſionibus ſunt maximè obnoxiæ, quibus præveniendis malis, illi iis laſciviendi atque in libidinem effundendi anſam occaſionemque, cum maximâ religionis offenſâ, ſuggerere videantur. Sed hæc nil niſi quorundam ſuffenorum inanes ſolicitudines eſſe ex eo liquet, quod ipſa natura ſeſe exonerandi modum perbellè calleat exequaturque, cum ſeminis copiâ opprimitur, interque dormiendum irritatur, imò aliquibus etiam inter vigilandum ſpontè effluat: præterea quod ex ejus retentione, licet diuturnâ, pravum ullum exortum ſymptoma vix ſit compertum.

Præter excretorum & retentorum legitimum ordinem (vel in *quantitate*, ut jam de menſtruo & hæmorhoidali ſanguine &c. diximus, quibus addo ſeminis excretionem: in gonorrhæâ, urinæ in diabete &c. vel *qualitate*, ut eſt V. G. fœtor alienuſque color &c. in ſudo-

ſudore vel urinâ, vel excretionis *modo*, ut eſt excretio fæcum per os, menſtrui per pulmones & os &c. vel in *tempore*, vitium, ut eſt excretio ſanguinis menſtrui citatior vel tardior,) reſtat adhuc alia, quæ tota ſubſtantia ſeu toto genere præter naturam eſt, ut Ex. Gr. Calculi, Vermis &c. excretio, arte & marte quantocius, ſi neutiquam vel tardè procedat, promovenda.

Cæteroquin communiſſimum ad Sanitatem Tuendam præceptum hoc eſt, id, quod ſecundum naturam eſt, & cujus diſpendio natura naufragaretur, eſſe conſervandum. In cæteris omnibus verò auream mediocritatem ſemper eſſe colendam. Cuique igitur valetudinis ſtudioſo ratum eſſe debet, quod ab Hippocrate pauciſſimis verbis commendatum eſt: *Labor, Cibus, Somnus, Venus, omnia mediocria.* Et quod Plutarchus tribus de Cibis Exercitatione & Venere protulit verbis: *veſci citra ſaturitatem: impigrum eſſe ad laborem: vitale ſemen conſervare*, tria ſaluberrima; quibus quartum addo, *vitandi animi affectus, & curæ prudentiæ freno moderandæ.* Hæc quatuor capita ſedulò obſervata quibuſcunque aliis longè prævalent, ſanitatique ceu pretioſiſſimo theſauro ſartæ tectæque ſervandæ convenientiſſima ſunt; licet horum regula generalis, quæ omnibus in ſpecie quadret, præſcribi non poſſit. Sollicitè etiam cavendum, ut corpus contra aëris injuriam ſemper probè muniatur, nec in ſecundâ valetudine adverſæ præſidia conſumantur; ideoqne valeant pharmacorum pocillatores, valeant vaniſſimi ex ſyderum aſtrorumque aliquo influxu præſagi, valeant calendariographi in deſignandis ad V.S. purgationem &c. opportunioribus anni tempeſtatibus, valeat barbitonſorum & ſcarificantium

vetularum sanguinis tui profusionem propter lucellum efflagitantium cohors; neque purgantibus, neque sudoriferis, neque aliis medicamentis, multò minus phlebotomiâ, cucurbitulis, balneis &c. corpus temerè turbandum & molestandum, vel diætâ nimis tenui & delicata imbecille reddendum, ne insequentis exinde vitæ ærumnosæ nosmet ipsos culpabiles reddamus, sed potius manantia ex perpetuâ sanitate commoda degustemus, atque ad vitæ salubris finem promoveamus. Tandem ut huic Capiti Libelloque coronidem imponam, quia nemo sine crimine, nec igitur vix quis sine morbo vivit, antequam exactæ & ægræ senectutis incommoda experiatur, atque haud rarò per quæ homo peccat per ea cruciatur, de auxiliatore cogitandum est: nam uti frustra modico & ordinario præsidio tenetur propugnaculum, quod à nimiâ vi hostium opprimitur, sic frustra quis jam labascentem inimicisque morbis cedentem sanitatem moderatissimo licet rerum non naturalium usu conservare conatur, sed uti subsidia & suppetiæ jam periclitanti arci, sic auxilia Medica adversâ infirmâque valetudine vacillanti homini summè necessaria sunt, atque ut ilicò in promptu sint oportet. Quibus tamen autor esse nolo, ut ex capitis alvive levissimo dolore querulus protinus Medicum accersat, & ad ingens pharmacorum armamentarium confugiat; nequaquam: sed ut, saltem principio, sibi ipsi quisque Medicus sit, velim, morbum videlicet abstinentiâ & continentiâ in prædictis non naturalibus, præsertim iis, à quibus unquam damnum passus est, mitigando, juxta medicorum Ciceronis Celsi monitum: *multi magni morbi curantur abstinentia & quiete.* Addo illud paucis multa complectens Scholæ Salernitanæ.

Si tibi deficiant Medici, Medici tibi fiant
Hæc tria: mens hilaris, requies, moderata diæta.

Disce tum, quod maximæ artis est, inter epulas esurire, quibus nil proficientibus ad levissimè alterantia, vel si alvus minus solito respondeat, ad laxantia remedia procedendum, in eorumque selectione nunquam sis immemor *indicationis*, quæ *ab juvantibus nocentibusque* desumitur, iterataque & sedulâ eorum observatione, quæ unicuique nostræ constitutioni tum naturali tum præternaturali maximè conducant & conferant vel noceant, à sanitatis amante acquiritur ac dignoscitur; ad hæc semper memor insignis usus *Medicamentorum Spirituosorum* ad præcautionem & curationem morborum, præcipuè in regionibus hisce septentrionalibus & humidis, ubi Scorbutus endemius & difficilis est morbus. Hæc enim inserviunt pituitæ incidendæ, acidis humoribus temperandis, visceribus & spiritibus corroborandis. Quamvis tamen hicce minimè cum recentissimis Novatoribus statuamus, hæc in omnibus morbis æquè convenire, ac semper in usum esse vocanda; quoniam in morbis acutis, spiritus nostros nimium dissipando, quasi oleum igni adderent; magis temperata tum præstant, uti & quævis Nitrata & Acida Volatilia Aquosis mixta. Sanè qui sic facit, sibi ipsi ex leviori morbo laboranti absque alio Medico quadantenus mederi, & fortè graviorem morbum effugere potest: etenim Medicinæ dignitas non tam in Medici sapientiâ vel in formularum (receptularum) concinnitate & pretio, quam in fausta morborum curatione cernitur, perindè enim (si bene saltem) quibus, vel per quem, memet ipsum, vel alium, curer, si salvus sanusque evadam:

dam. Secus tamen si eveniat, sensimque ingravescens morbus leviora remedia respuat, vel si ab initio gravis periculosusque invadat sine mora, nam

Vidi ego quod fuerat primò medicabile vulnus,
Dilatum longæ damna tulisse moræ.

doctus, probus & in dignoscendis rerum causis felix Æsculapius, nequaquam doctrinæ opinione turgens garrulus vanusque adulator pariter ac maledicus Thessalus, accersendus; tanto vel tantis Hippocratibus (si tibi plures vocare visum sit) tum prorsus quoad morborum curationem sanitatisque restitutionem confidendum; nec temerè (ut quidam ægri quam pessimè solent) ejus, sive eorum, si plures fuerint, præcepta negligenda, multò minus simul clam quædam agyrtarum aniculaumque remedia (ut me aliquando vidisse memini) utenda sunt. *Huic, vel his confidere, semper meliora sperare, eventumque æquanimiter à Deo exspectare, primus ad quorumvis curabilium morborum curationem gradus est:* nec enim tam terribilis ulla fando oratio est, neque fors, neque Cælitum invectum malum, quod non natura humana patiendo ferat. Contrarium qui faciunt, ac ab isto inter gentes salutari laudabilique recepto usu arroganter recedunt, meritò deplorandi sunt: siquidem à nemine nisi à se ipsis læsi in proprium peccant caput, atque morositatis, inconstantiæ, impatientiæque suæ, dignas luunt pœnas.

Malè suis rebus consulunt, qui inconsultis Medicis transultoriè ab uno ad aliud transeunt præsidium.

Tantum Terminalia sunto!

AP-

APPENDICULA,

Obſervationum & Curationum aliquot Medicarum.

PRÆFATIO.

Poſtquam huic libello non ſolum ultimam manum impoſueram, ſed & Typographo tradideram, mecum cogitavi haud inutile fore (ne viderer tantus hodiernæ Medicinæ oſor, ut eam planè contemptam velim) ſi exiguum privatæ meæ praxeos prodromum, (& qualem mihi in annotando viſitationum apud ægrotantes numero, erogatorumque ipſis medicamentorum ſupputatione, ſimul facio & ſervo, de ſingulo qui meæ curæ mandatur ægrotante morbi hiſtoriolam) præcedentibus annecterem. Valdè breves & tenues (nec difficilibus caſibus exornatæ vel etiam penitus confictæ, ut jam paſſim inter hiſtoriarum præſertim Medicarum compilatores fieri conſuevit) & inſtar rationarii privato meo uſui conſcriptæ ſunt obſervationes, fateor, nec à conſummatis in arte viris legi merentur: attamen fortè ûni alterive ad praxin ſe accingenti propriâque manu elaborata medicamina ſuis porrigere ægris volenti Tyroni, inſtar exigui ſpeciminis eſſe poterunt, ad cujus normam etiam veroſimiliores conjecturæ dirigi, & ſimilia vel meliora medicamenta confici, & hac eadem vel convenientiori medendi methodo pro lubitu morbo affectis applicari queant. Tam ſimpliciter Medicinam feciſſe probum atque expertum Practicum nunquam pœnituit, ſed neceſſitas & fructus maximo-

perè commendant: hisce & similibus magis fidendum, quam omnisciis nostræ ætatis Argis, quibus nil nisi nova, curiosa, rariora, maximèque singularia arrident, & à quibus propterea haud rarò tam in Theoreticis quam Practicis & aliis res nec visæ nec in æternum videndæ, ejusque indolis ut oculis usurpari nequeant, si ipsis saltem admirationem famam & lucrum acquirere valeant, linguâ & stylo ita depinguntur, ac si tanti Scriptores tantorumque Inventores in Æsculapii templo dormivissent, nostramque artem ab omni conjectura jam num vindicare possent. Hæc & similia interdum mecum ruminanti, universalis hominum in pluribus vanitas manifestissimè sese dedit spectandam, quantisque parasangis vulgò inter mortales specioso verborum apparatu prolata, licet ab iis, vere qui manibus careant, verissimis quibusvis sed simplicissimis antecellant. Simplex & particularis ejusmodi ægrorum recensio, ut in genere testantur omnes Medici, magnam præ se fert utilitatem, cum præceptorum universalium & eorum quæ artem constituunt Theorematum observationem quandam sub oculos ponat, ac veluti exemplorum congerie ad Medicinam faciendam manu ducat. Ac veluti non satis est Medico si artis jussa teneat, nisi & ægrorum ipsorum procurationem subeat & ea quæ intelligentiâ & animo comprehenduntur in medium pulverem & aciem deducat: sic in hac saluberrimæ nostræ artis tractatione parum ad rhombum faciunt argutissima de rebus arduis & levibus ratiocinia & magnificis verbis decantatissima inventa, si in ea doctrinæ comprehensione, quæ notione concipitur & absque ullo actu nudo intellectu contenta est, velut in umbra semper dilitescant, nec in ægrorum triclinia aut hominum manus pertrahantur, (multò enim excellentius esse cum Practicis existimo, gene-
rosa

rosa & sæpissimè probata remedia in promptu habere ad morborum curationem felicem, quam verba sesamo & papavere sparsa, quæ ad ægrorum sanitatem restituendam minimè valent.) Ex hoc nimirum particularium exemplorum Catalogo magnus ad posteros usus redundavit, tum quia communium artis canonum quandam confirmationem adfert, tum vero (quod præcipuum & palmarium) quia in opere faciundo juniori Medico quendam institutum medendi morem ad praxinque manuductionem quasi in speculo proponit, ex quo totius artis σχῆματα, ac veluti quidam medendi gestus in quotidianas visitationes & curationes transfunduntur. Exiguus est, nec Asiaticâ longitate, sed Laconicâ brevitate conscriptus, hic Observationum numerus, & absque ullo observato ordine, ex majori quem alia occasione prelo destinavi hinc inde excerptus, ne speciminis terminos excederet, sed tantum par esset, in transitu singularem & quotidianam meam medendi methodum, & quibus ego bonum otium conteram, quasi digito monstrare.

Sed ne quis mihi objiciat, quod idem Illud, quod in aliis animadverto, ipse hic committam, præscribendo specialia quædam remedia sub Epitheto NOSTRORUM, ita ut hisce, prædictorum oblitus, arcanis favere videar, huic respondendum est, me hunc terminum *nostri* nullo alio sensu, quam propter brevitatem, (id est, ut uno verbo plura simul comprehendam) in hac praxi curta ac privatâ usurpare: absit ut hoc verbulo ullum prætexerem secretum medicamentum, unicuique potius honestè amicèque petenti hæc omnia & plura lubens revelare vellem. Verum de his satis & ad ipsas transeo observationes.

OBSERVATIO. I. De APOPLEXIA.

Helena van Harssélen mercatrix op de Vliet.

1693. 8. Decemb. Hæc fæmina quinquagenaria major fluxionibus capitis admodum obnoxia, ex sacra concione domum rediens, propè suas ædes in plateam attonita corruit ac instar mortuæ jacet, omni motu & ferè sensu privata, cum stertore sed oculis apertis (licet nihil percipere videatur) pulsuque ac respiratione adhuc integris. Accersitus ad eam ilicò V. Sem in brachio instituimus; sanguinis ℥vij. vel viij. extractis, mox inferius guttur sequenti Clystere collui curavimus.

℞. Vini. Absinth. ℥v.
Emetic. Nostr. ℥ij.
Tinctur. Aur. nostr. purg. ℥j.
Ol. Origan. Rosmarin. Caryoph. ana ℈ß.
Nigell. ʒij. Castor ℥ß.
El. Hier. picr. Confect. Hamech. an ʒv.
Sal. Succin. Volat. ʒß.
Mixti. ʒjß.
Ms. F. Clyster.

A dextrè peracta Sang. Missione respiratio quadantenus levior videtur.

A Clystere magnam fœtidissimarum fæcum saburram dejecit.

Ex penetrantissimo Spir. Salis Ammoniac. & Calcis Vivæ cum Ol. Succ. mixti odore, quem sæpius ex parva phiala validè conquassata sub naribus tenere jussi, & à Pulvisculo Sternutatorio crebrò naribus inflato tandem

dem bis terve ſternutavit. Extremorum frictiones cum Tinctur. purg. aur. noſtra ordinavimus.

Inungantur nucha, tempora ut & ſpina dorſi, ſi commodè fieri poſſit ſeq. Linimento.

℞. Ung. Arthanit. ℥ß.
Ol. Caſtor. Nigell. Philoſoph. an. ʒij.
Succin. C. Cerv. fœtid. an. ʒj.
Theriac. veter. ʒij.
Salis. mixt. ℈iv.
MS.

Atque hæc hodiè ſufficiunt.
In eodem fere verſatur ſtatu. 9.
Iteretur Clyſter.
Porrò cum frictionibus & inunctionibus continuabunt.
Ab injecto Enemate alvus denuò multum ſoluta.
Hodie manè illam os aperuiſſe & parum vini ſorbillaſſe adſtantes mihi annunciant. 10.

℞. Spir. noſtr. Cardiac. ℥iv.
Aq. Antepilept. Lang. ℥j.
Tinct. Succin.
Caſtor. an. ʒij.
Croci, Metallor. an. ʒj.
Sal. Volat. Succin. Cran. Human. an. ℈j.
Spir. C. Cerv. Gts. xxx.
Syr. Pæon. ʒvj.
MS.

Aliquot cochlearia mixturæ ſenſim ſorbendo aſſumpſit. Ex geſtibus videtur illam aliquid dicere velle, at præter inconditum murmur nil profert: dextram manum 11.

num pedemque paululum ſuo loco movit, & ſi vellicentur retrahit: diligenter continuabunt in uſu medicamentorum præſcriptorum.

12. Apoplexia jam penè in Hemiplegiam deſinit, quoniam latus ſiniſtrum tantum jam ſenſu & motu manet deſtitutum, dextro verò exquiſitè ſatis ſentiente, & brachio & pede aliquali motu gaudente.

Imponatur ponè aurem partis affectæ Emplaſtrum Veſicatorium.

♃. Tinctur. purgant. aur. noſtr. ℥ij.

Iteretur Mixtura 10. præſcripta.

13. Ex eroſione cuticulæ poſt aurem per Emplaſtr. Canth. multum lymphæ defluit.

à Tinctura noſtrâ purgante nonnihil dejecit.

Aliquantillum Mixturæ uſurpavit: eam amplius aſſumere detrectat.

Vergit in pejus.

14. Hac nocte nihil aſſumere potuit.

Bona, quæ nudiùs tertius affulgebat, ſpes jam omninò evanuit, & omnia ad interitum feſtinant.

Hodie quintâ pomeridianâ vitam cum morte commutavit.

II. OBSERVATIO Dè EPILEPSIA.

Magdalena N.N. ancilla apud honeſtiſſimam matronam viduam mercatoris Amos Minne.

1690. 6. Augusti. Hæc virgo 20. præter propter annorum ab aliquot ſeptimanis, & poſtquam ab alia ſed tum fortè larvata ancilla admodum perterrita eſſet, cepit malè habere, paſſioneſque epilepticas ſubire, unde modò in terram decidens, mox elinguis omnibuſque ſenſibus perceptionibuſ-

que

que privata nec minus convulsionibus torta, uti etiamnum à me reperta est.

Hanc bono cum Deo paucis remediis universalibus, & paucissimis specificis dein adhibitis, feliciter curavimus.

♃. Spir. Nostr. Sal. Ammoniac. cum calce.
viva distillati ʒjß.
Ol. Succin. ʒß.
MS.

Præbeatur in paroxysmo hæc mixtura, in lagenula angusti colli validè agitata frequentur odoranda.

Cras extrâ paroxysmum ebibet Vin. Emetic. nostr. ℥ij. Nudo capiti sub capillitio imponent vittam instar cucuphæ ex charta grisea oleis aromaticis, ut Origan. Lavend. Garyoph. Rosmarin. Succin. &c. humectata.

♃. Apozemat. nostri deobstr. ex Lignis
& Rad. Lignosis mediante Menstruo
Spirituoso cocti. pint. IV.

Hujus bibat 3. 4ve de die vacuo ventriculo ℥v. vel vj. excalefactas.

Quoniam in morbi principio V. S. neglecta fuit, atque menses ab eo tempore subsistunt, perendie ipsi vena in pede pertundetur.

Post evacuatum Apozema jejuna deglutiet
seq. Pilulas. ♃. Extr. nostr. Cathol. ℈j. F. pill. no vij.

Ab usurpatis remediis melius habet, neque tam abjecti 10.
animi, neque adeò in vertiginem prona est ac anteà. Heri tamen denuò passa est paroxysmum, sed valdè levem & brevissimum.

Iterentur pillulæ heſternæ.

Iteretur Apozema.

Manè & veſperi cum Apozematis doſi ordinaria ſimul aſſumet cochlearia duo mixturæ ſequentis.

♃. Spir. Sem.. & Rad. Pæon. recentium
Flor. Til. & Lilior. Convall. an. ℥viij.
Tinctur. Caſtor. ʒß.
Lumbricor. terreſtr. ʒj.
Cinabar. Antimon.. ℈ij.
Oculi. cancr. ʒij.
Sal. Volat. Cran. Human. vel C. Cervi.
Succin. an. ℈j.
Mell. Maſſiliens. deſpumat. ℥j.
MS.

16. Ab aſſumptis Pillulis multum ſoluta fuit. Ab uſu Apozematis cum Mixtura optime ſe habet, & licet ejus uſus idcircò eſſet continuandus, quia nobis tamen commendatum eſt, parcendum eſſe ſumptibus, ut in praxi medica in medentium tœdium non raró contingit, perget in uſu ſolius Mixturæ 10. præſcriptæ, quam evacuatam curabit iterandam. Paroxyſmus non rediit.

30. Huc|uſque nil mali experta optimè ſe habet & ſana eſt. Quibus ſuperaddo, quod etiam quod ſciam nunquam poſtea in hunc uſque quo hæc ſcribo diem 4. Juny. 1699. recidivam paſſa eſt.

III. OB-

III. OBSERVATIO De VERTIGINE & SYNCOPE.

Catharina. . . filia Abigailis olitricis in vicinia nostra.

Hæc 14. annorum puella hodiè dum in consuendis pannis linteis esset occupata sæpius de vertigine est conquesta; hac nocte media verò una cum sororibus decumbens post horrendum clamorem omnes sensus motumque amisit, & instar mortuæ jacet: os clausum; respiratio nulla; pulsus vix perceptibilis, extrema artuum frigent. 1699, 2. Aprilis.

♃. Spir. Sal. Ammoniac. cum Calce Viv. distill. ℥jß.
Ol. Succini. ʒß.
MS.

& in phiala angusti colli probè conquassat. sæpe teneatur sub naribus, in quas quoque subinde infletur aliquantillum Pulveris Sternutatorii.

Fricentur partes extremæ pannis linteis calefactis.

♃. Spir. C. Cerv. cum Sal. Volat. suo imprægn. ℥ij.

Os adeo firmiter claudit, ut non nisi maximo cum labore cochleare vini cum aliquot guttulis hujus Spiritus in illud infuderint.

Quia jam nox ferè transiit atque diluculum instat, quod faciendum restat in diem crastinum differemus.

In eodem versatur statu: ab inflato tamen Pulvere bis sternutavit. 3.

Injiciatur statim hic irritans Clyster.

℞. Rad. Angelic. Acor. Galang. an. ʒiij.
Herb. Rut. Rosmar. Salv. an. Pugill. ij.
Pulp. Colocinth. in nod. ligat. ʒß.
F. Decoct. in Vin. a. Gallic. ad ℥vj.
Colatur. add.
Elect. Hier. Picr.
Diaphænic. an. ʒiij.
Salis mixti ℈ij. Succin. ℈j.
Vini Emetici ℥ß.
Ms. F. Clyster.

Mox ab injecto Clystere alvus multum soluta, maximamque virosissimorum humorum copiam excrevit, jam vix una post Clysteris operationem hora elapsa os oculosque aperit, respiratio major pulsusque fortior; sentit; muta tamen adhuc atque motus expers.

℞. Spir. Cord. nostr. ex floribus ℥iv.
Tinctur. Cardiac. ℥j.
Castor. ʒj.
Croci gtts. xxv.
Sal. Volat. C. Cerv. ℈ij.
Aromat. gtts. L.
Mell. Massiliens. despum. ʒvj.

Imponatur nudo capiti charta grisea oleis aromaticis humectata.

Atque hisce paucissimis per Dei clementiam incolumis evasit.

IV. OB-

IV. OBSERVATIO De SYNCOPTICA.

Marÿtje Filia Evæ ſartricis; nobis vicinæ.

Hæc 20. annorum virgo, dum in ædibus cujuſdam mercatoris ferro calido, uti noſtrates ſolent mulierculæ, lintea æquat ſeu lævigat, abſque ulla prævia cauſa animo delinquit, atque inſtar ſideratæ procidit. Pulſus rarus obſcurus & interdum abolitus; reſpiratio nulla; omnis ſenſus motuſque eſt ablatus; facies pallet; extrema frigent, & jam per mediam horam & amplius in hoc ſtatu verſatur; mors præ foribus videtur: nam ſi hæc longius durant ſanguis coagulabitur. 1699. 30. Martii.

Ponatur ægra in dorſum; laxentur veſtes; ſpargatur frigida in faciem; inſletur naribus pauxillum pulveris ſternutatorii.

Applicetur iis quoque ſæpius in lagenula anguſti colli mixtura ex Spir. Sal. Ammon. cum Calce viva diſtill. & Ol. Succin. probè conquaſſata.

℞. Spir. noſtr. Cardiac. ex floribus cum vino diſtill. ℥iv.
Tinctur. noſtr. Gran. Kerm. Ciaoi. Conchenill.
Flori Tunicor. &c. ℥j.
Vin. Rhenan. ℥iij.
Aq. Prophylact. Amſt. ℥jß.
Ocul. Cancr. Corall. Rubr. ppt. an. ℈ij.
Spir. Sal. Ammoniac. Aromat. gtts. L.
Julap. roſat. q.s.

Ab pauxillo Mixturæ ori infuſo exiguum ſonum inſtar tuſſiculæ eliſit; videtur paulatim ad ſe revenire; reſpi-

rationem & pulsum denuò deprehendimus. Continuabunt usum Mixturæ.

Ab usurpata hac unica Mixtura multum proficit in melius, meliorque jam ipsi valetudo facta est.

V. OBSERVATIO De FEBRI TERTIANA INTERMITTENTE.

Geertje vidua van Joost ten Hout.

Anno. 1691. in autumno febres epidemicæ hic glifcere cœperunt, & penes multos suam exercebant tyrannidem, quibus modo sequenti occurrebam.

18. Octob. Hæc vidua febri tertiana intermittente laborat, post purgatum corpus usurpabit febrifugum.

♃. Mass. Pill. nostr. gr. xvj.
F. Pill. No. IV. or.
♃. Mistur. nostr. Febrif. ℥vj.
Dos. Cochl. ij. singulis bihoriis.

20. Ab assumptis Pilulis. 7. sedes habuit. Usurpabit mixturam.
21. Siquidem proficit in melius à mixtura, eam iterabimus.
22. Iteretur Mistura 18. præscripta
23. Proficit in melius.
24. Proficit in melius: quoniam autem alvus segnior, ut laxa servetur, subindè assumet Pill. I. sequentium.

♃. Mass. Pill. nostr. laxantium ʒß.
F. Pill. no. xij.

2. Sept. Iteretur Mixtur. 18. præscripta.

Mui-

Multum proficit in melius. 2.

Longè proficit in melius. 5.

VI. OBSERVATIO Dè FEBRI QUARTANA DUPLICE. CUM APHTHIS

Domina Maria Lambrechts Vid. van de Voorde.

Hæc vidua quinquagenaria major nudius quartus & nudius tertius paroxyſmos febriles ſe mutuò ſubſequentes, primo ſcil. frigus intenſum, mox calorem, paulo poſt denuo frigus, mox rurſum calorem, & quidem tum per medium diem & reliquam noctem perſeverantem, paſſa eſt, heſterno verò die delaſſata quidem, verum ſine paroxyſmo, hodiè denuò paroxyſmum febrilem expectat; ſitis & æſtus ipſam valde affligunt, alvus naturali ſegnior, qua cita, uſurpabit febrifugum. 1691. 22. Sept.

℞. Maſſ Pill. noſtr. purg. Gr. x.
F. Pill. 12°. ij. inaurentur.

Hodie aſſumſit pillulas, interim uſurpabit decoctum ficuum, ſiquidem aphtæ in propinquo. 23.

Circa veſperam non malè ſe habuit, ubi purgata erit ſumet mixturam antifebrilem.

Hac nocte mediocriter quievit, utitur præſcripto medicamento. 24.

Magis ac magis incipit angi, & phlegmata craſſiuſcula & ſpumoſa albaque excernit.

℞. mixtur. noſtr. card. & febrifug. ℥vj.
Doſi. cochlear. 2. ſingulis
bihoriis.

Con-

25. Continuet uſum mixturæ, unde bene ſe habet; commodè excernit phlegmata.

Proficit in melius.

Iteretur mixtura heri præſcripta.

26. Quoniam decoctum ficuum incipit deſpicere, decoctum
27. hordei cum Syr. Hyſſopi uſurpabit.

Valde angitur circa præcordia; benè habet de decocto Hordei cum Syr. Hyſſopi.

Iteretur mixtura.

28. Aphthæ circa maxillas prodeunt;

Magis magiſque aphthæ os obſident, magiſque angitur.

29. Eodem in ſtatu verſatur, & totum aphthis inficitur os.

30. Siquidem aphthis ſcatet totum os fauceſque, mirum non eſt ipſam valdè angi.

31. Hæc miſella admodum angitur ob inſignem aphtharum proventum uſque ad ipſa labia, totum os, genas interiores palatumque; fauces vix ullum liquorem admittunt.

Circa veſperam ſummoperè debilitata vix reſpirare potuit ob faucium tum anguſtiam, tum muſculorum ab aphthis exortam rigiditatem.

1. Octob. Hac nocte aphthæ decidere quaſi incipiunt, ſpeſque affulget felicis curæ.

2. Proficit in melius.

3. Proficet in melius.

4. In eodem eſt ferè ſtatu, quo heri. Iteretur mixtura. Proficit in melius.

5. Proficit in melius.

6. Hodiè magnam quantitatem materiæ pituitoſæ, ex
7. aphthis delapſæ in ventriculum, ibidemque collectæ, per os evomuit.

8.

24. Extr.

℞. Extr. Nostr. Cathol. Gr. x.
F. Pill. N°. ij. deargententur.

Ab his pilulis bis dejecit, sed fæces duriores. 9.
Meliuscule sese habet. 10.
Jam ferè in integrum restitutæ, ut porrò vires ex culina restaurare studeat, commendavi. 11.

VII. OBSERVATIO Dè FEBRI QUOTIDIANA.

Elisabeth Joannis rustica de Leiderdorp.

Hæc virgo ante 6. dies febri correpta paroxismum cum frigore & horrore passa est, singulisque affligitur diebus; alvus segnior, dolorque capitis vehemens ipsam infestant; post reseratam alvum usurpabit febrifugum. 1691. 10. Sept.

℞. Fol. Sennæ Mundat. ʒvj.
Mannæ Calabrin. ℥ß.
Tart. Rhenan. ʒiij.
Sem. Fœnic. ʒij.
F. Nodulus.

Infundatur calidè in cerevisiam & bibat haustulum.

℞. Aq. Menth. Meliss. an. ℥ijß.
Ocul. Cancr. ℈ij.
Regul. Antimon. medicinal. ʒß.
Salis Mixti ℈j.
Træ Contrayerv. & Cort. Winteran. ℥ß.
Croci gtts. xL.
Sal. Volat. Oleos. gtts. xx.
Syr. Papav. Errat. ʒvj.

MS. F. Mixtura.
Dosis. Cochlear. ij.

11. Ab assumpto Cerevisiæ medicatæ haustulo 4. sedes habuit. Levius habet quoad symptomata affligentia. Perendiè denuo purgabit, postea que si opus erit venam secabimus.

12. Hodie semel dejecit, continuatur dolor capitis, mox assumet hypnoticum.

♃. Opii Nostri Gr. j.
F. Pill. N°. j.

Præterea bibat iterum haustulum cerevisiæ medicatæ
13. 10. Sept. præscriptæ. Ab assumpto hoc haustu denuò 4. sedes habuit, ac hesterna vespera paulo post assumpsit Opii pilulam. Dolor capitis ferè cessavit, & Deo volente cras venam secabimus.

14. Hodie ei vena secta est in pede.
Iteretur mistura 10. pscripta.

15. Hæc proficit in melius; evacuatam misturam tamen semel adhuc curabit iterari.

VIII. OBSERVATIO De FEBRI INTERMITTENTE cum DOLORE OSTOCOPO.

Abraham Anckenaar panni tonsor.

Hic præter propter 24. annorum juvenis per aliquot
1691. 14. August. dies malè habuit ex febre intermittente cum dolore ostocopo, siti alvoque astrictiore.

♃. Pill. Cathol. nostr. N°. iij.

15. Ab assumptis Pilulis sex sedes habuit.

♃. In-

℞. Infusionis nostr. sudorif. & anodyn. ℥x.
℞. Lap. Prunell. ʒij.
℞. Opii Nostr. gr. jß.

A recte usurpatis his remediis parum levatus videtur.
℞. Pill. laxantium nostrar. ℈ß. F. Pill. nº. IV. 26.
Ab his pillulis bis dejecit.
Iteretur mixtura heri præscripta.
Aphthæ in faucibus prodeunt. 17.
Præscripsi cerevisiam cum caricis, passulis exacinatis cum tantillo liqueritiæ contusæ, cum dupla quantitate aquæ decoctam ad dimidiam ferè consumptionem. Præterea.

Iteretur mixtura præscripta.

Hanc noctem instar furiosi transegit. Scatet os totum aphthis ac summopere periclitatur. 18.

Ab assumpta mixtura vires ægri admodum sunt auctæ, quibus accedit insolens ac vaga corporis jactatio, adeo, ut ipsum coercere vix unus sufficiat. 19.

℞. Tinct. Opii ℥ij.
Aq. Rosar. Samb. an. ℥j.
Ms. & applicetur tepidè fronti & temporibus.

Ab usurpato frontali placatus fuit furor.

Iteretur lapis prunell.

Deliria & convulsiones patitur; continuabit usum mixturæ. 20.
Eodem versatur in statu quo heri, & quoniam convulsiones ac pervigilium perseverant. 21.
Iteretur Pill. ex Opio Nostr. Gr. jß.
℞. Liniment. Nostr. Spirituos. & Oleos. ℥jß.

22. Ab assumpta pilula hac nocte placide dormivit & meliuscule jam se habet.

Iteretur mistura. 15. præscripta ex Infusione vegetabilium mediante melle mineralibus maritata.

23. Jam omnia Symptomata unâ remiserunt & multum in melius profecit.

24. Magis ac magis in melius proficit.

Ad prostratum appetitum restaurandum utetur.

♃. Ol. Menth. gtts. x.
Elix. pp. Par. ʒvj.
Sal. Volat. Oleos. ʒij.
MS.

Sumantur bis terve de die gtts. xx. vel xxx. in haustulo vini vel cerevis. veteris.

IX. OBSERVATIO Dè FEBRI CONTINUA Cum DIARRHOEA.

Andreas ten Haut panni tonsor.

1691. Maji. 28. Hic juvenis febrim continuam & diarrhœam patitur sitimque urgentem; quare juxta emulsionem utatur seq. pro somno conciliando.

♃. Tinctur. Nostr. Hypnotic. ℥ij.
Applicetur tepidè
♃. Spec. Diascord. Fr. ʒj.
Besoard. Miner. Gr. xv.
Mell. Desp. q. s. F. Bolus.

♃. Opii Nostr. Gr. j. F. Pill. j. inaur.

Pau-

Paululum profecit ab usurpatis medicamentis. 29.

Iteretur Pill. ex opio nostro.

Hac nocte parum quievit, cras si non adeò malè habet vena secabitur. 30.

Hodie ei vena secta est & sanguis missus ad ℥ix. Cupitque Hypnoticum. 31.

Iteretur Pill. ex opio nostr.

Hac nocte melius quievit, quare denuò hac nocte instante assumet Pill. opiatam: cras verò Pill. purgantes. 1. Juny.

Iteretur Pill. ex Opio.

♃. Mass. pill. Cathol. Nostr. Gr. x.

F. Pill. no. ij. inargententur.

♃. Lap. prunel. ʒij.

Hac nocte parum quievit, à pilulis bis dejecit. 2.

Proficit in melius.

Hic denuò affligitur paroxysmo febrili, patitur frigus & pervigilium. 10.

♃. Mistur. Nostr. Antifebril. ℥vj.
Sal. Volat. aromat. ʒj.
Aq. Cinamom. tantill.
MS.

Tinctur. Nostr. Hypnotic. Cochl. j. 11.

Sensim convalescit. 12.

X. OBSERVATIO De DIUTURNA INFIRMITATE &c.

Jan Lucasse van Herborn Aurigarum Præfectus.

Hic sexagenarius per 8. septimanas decubuit, estque debilis sine appetitu cibi aut potus, sed dolorem 1693. 12. Aug.

 circà

circà præcordia, & bronchiorum à lenta pituita patitur obſtructionem.

♃. Miſt. Noſtr. Cardiac. & Thoracic. ℥v.
Mellis deſpum. q. ſ.

15. Non malè ſentit à miſtura; ſed quia valdè urget ſitis & phlegmata in pectore tenaciſſima ac guſtu ſalſiſſima ſint.

♃. Miſt. n. Cardiac. & Thorac. ℥vj.
Spir. Nitr. Dulc. ʒß.
Træ rob. ℥ß.
MS.
♃. Lap. prunell. ʒij.
Iteretur miſtur. 15. præſcripta.

29. Multum defecit nec ferè quicquam aſſumit: ullaque
30. medicamenta amplius aſſumere detrectat.

XI. OBSERVATIO Dè FEBRI INTERMITTENTE.

Hans Iacob Storck Germanus panni tonſor.

1692. 26. July. Hic juvenis febricitat, paroxyſmumque tempore nocturno cum frigore accedentem per 2. horas patitur; ſitis urget; alvus ſegnior; poſt purgatum corpus uſurpabit febrifugum.

♃. Pill. noſtr. Cathol. ℈j.
F. Pill. No. IV.

27. Si quidem poſt noſtrum deceſſum ſpontè alvus cita facta ſit, pilulas non aſſumpſit.

28. Ab uſurpata mixtura noſtra febrifuga omninò convaluit.

XII. OBSERVATIO De LASSITUDINE & VOMITU.

Nicolaus Hollebeek Vicinus noſter.

Hic conqueritur de laſſitudine per totum corpus & quæcunque aſſumit continuò evomit. 1691. 26. Aug.

℞. Spec. Diaſcord. ʒß.
Sal. Abſinth. ℈ß.
Ol. Nuciſtæ Expr. Gr. vj.
Mell. Deſpum. q. ſ.
MS. F. Bolus.

Ab uſurpato medicamento benè ſe habet: Sed quoniam alvus adſtrictior, caput dolet, & etiamnum utcunque nauſeabundus eſt. 29.

℞. Maſſ. Pill. noſtr. Gr. xx.
F. Pill. N°. v. inargententur.
℞. Miſtur. ſeu Aq. Stomach. noſtr. ℥iv.

Ab uſurpatis hiſce medicaminibus optimè ſe habet: verum quoniam adhuc nauſeabundus continuo aſſumpta evomit, utatur ſequenti. 1. Sept.

℞. Opii noſtr. Gr. j.
F. Pill. no. j. inauretur.

℞. Spec. Diaſcord. ℈ij.
Ol. Nuciſt. Gr. v.
Tinctur. Hypnotic. noſtr. gtts. xxx.
Sal. Mixti Gr. viij.

Rob Sambuc. q. ſ.
MS.

3. Jam noſter valetudinarius conqueritur de debilitate ſtomachi,

♃. Miſtur. noſtr. Cordial. ℥vj.

5. Conqueritur de nimiis vigiliis & dolore circa præcordia, deque ſummâ ſiti.

♃. Lap. Prunell. ʒij. Solvatur in potu, ſeu cerevіſia tenui, ſeu ptiſana.

♃. Laud. noſtr. Opiat. Gr. ij.
F. Pill. N°. j. inauretur.

6. Hac nocte bene quievit. Puto ejus curationem in jucundo ſodalitio quærendam & inveniendam.

♃. Lap. Prunell. ʒij. uſurpetur ac antea.

♃. Elix. pp. & Sal. Volat. Ar. an. ℥ß.
MS. in ph.

XIII. OBSERVATIO De FEBRI INTERMITTENTE cum APHTIS.

Cornelia de Iong uxor Leonardi Colijn Mercatoris.

1690. 1. Novemb. Honeſtiſſima hæc atque per affinitatem mihi juncta Matrona ante aliquot ſeptimanas bis aphthis fuit affecta, hodiè verò febrim patitur intermittentem, accedit paroxyſmus cum frigore per ſeſquihoram durante.
♃. Miſtur. noſtr. Febrifug. Completæ ℥vj.

♃. Lap.

♃. Lap. prunell. ʒij. in potu.

Hac nocte leviter se habuit & placide quievit. 2.
Proficit in melius.
Circà vesperam denuò ipsam placidè quiescentem offendi, & quoniam admodum sitibunda.

♃. Lap. Prunell. ʒij.
Pro duabus cerevis. pintis.

♃. Spir. Nitri Dulc. ʒjß.
Ol. Sulph. per Camp. ʒß.
MS.

Sumat subinde aliquot guttulas ad gratum acorem in haustulo Cerevisiæ Neomagensis (*Mol*)
Hac nocte utcunque quievit, videturque magis ac magis deficere; binas tum sedes habuit; valde sitis urget; præscripsi Linctum sequentem pro faucium ariditate. 3.

℞. Syr. Violar. Jujubin. an. ℥j.
Mucilag. Sem. Cydon. ℥ß. Sal. prun. ʒj.
MS. F. Linctus.

Bene se habet de lincto.
Proficit in melius. 4.
Hodie parum pransa est ac se benè habuit, jam vero circà vesperam sitibunda est, & dolorem patitur in lumbis pervigiliumque.

♃. Mixtur. nostr. Antifebr. & Anodyn. ℥vj.
♃. Lap. Prunell. ʒij.
♃. Opii nostr. Gr. ij. F. Pill. no. 1. inaur.

6. Ab assumptis se mediocriter habet, & proficit in melius.

℞. Tinctur. nostr. Purgant. Aur. ℥j.

7. Ab usurpata Tinctura. 3. sedes habuit. Circà vesperam ipsam in meliori statu offendi.

8. Proficit in melius.

Dolorem sentit in regione dorsali, quem etiam in morbi principio subindè sensit. Pro cardiaco hac vespera usurpabit Vin. Hispan. cum pane albo craticulato; pro dolore autem leniendo & simul somno conciliando, capiet,

Tinctur. nostr. Hypnotic. Cochl. ij.

9. Hac nocte bene quievit, ac etiamnum doloris expers se bene habet.

10. Hac nocte nihil quievit, & quoniam extra lectum frigore fuit correpta, simul & febre, ac magnis circa præcordia anxietatibus correpta fuit.

℞. Spec. Diascord. ℈j.
Pulv. Contrayerv. Gr. xxv.
Salis Mixt. ℈ß.
Reg. Ant. Medicinal. Gr. xv.
Croci opt. Gr. viij.
Rob. Sambuc. ʒij.
Spir. nostr. Vinos. ex Meliss. Rosis &c. ℥ijß.
MS. F. Haustus.

11. Hac nocte omnis dolor fuit sublatus. Ab assumpto medicamento egregiè sudavit & placidè quievit: sed quoniam paroxysmum experta, est cupit febrifugum.

℞. Mist. nostr. Febrifug. ℥vj.

Non

Non male ſe habet à medicamentis, verum non ſatis pro 12.
ſuo voto ructus per os emittit.

℞. Spir. noſtr. Carm. ℥iv.

Ab uſurpato ſpiritu ructus quidem, ſed difficulter tamen emittit. Conqueritur etiam de fluore albo, cui remedium optat. Hac veſpera non coenabit. 13.

Hac nocte mediocriter quievit. 14.

Hac veſpera parum coenabit, & benè ſe habet à miſtura

Hodiè levem febriculam habuit. Cupit potionem Carminativ. & Cordialem. Admodum bilioſa eſt. 15.

Hac veſpera non cœnabit.

℞. Spir. Herb. Cordial. ℥x.
Radic. Cordial. ℥xij.
Tinct. noſtr. pgant. Aur.
Aq. Theriacal. noſtr. an. ʒij.
Spir. Nitri Dulc. ℈ij.
Rob. Bacc. Samb. ℥j.
MS. Doſ. ℥ij. vel ℥iij.

Hac nocte mediocriter quievit, multumque ſudavit; hodièque inchoabit uſum potionis cordialis; hoc manè parum jentavit. Benè ſe habet ex potione cordiali, quam largiter uſurpat. 16.

Hac nocte benè quievit, multumque proficit in melius; hodie & heri veſperi ſedem habuit. 17.

Iteretur Potio Cordialis 15. præſcripta

Hac nocte benè quievit, hodieque bene jentavit & pranſa eſt cum ſummo appetitu, videturque propè ſanitati reſtituta; evacuabit potionem cordialem, eamque ſi opus videbitur denuò iterabit. 18.

19.

Iteretur Potio Cord. 15. præſcripta.

21. Hac nocte ob flatum, ut putabat in abdomine contentum, ab ancilla petiit potionem carminantem, quæ dormitabunda hujus loco Tincturam Hypnoticam exhibuit, unde, ut ipſa mihi refert, propè duo cochlearia hauſit. Quare mox ſorbillavit Vinum Hiſpanicum Lavendulatum, quod ipſi in promptu erat, nec malè meo judicio, quare ejus uſum admodum modice continuabit.

Circa veſperam melius ſe habet; rad. cichor. coctas in
22 cœnam ſibi capiet.

Admodum male habet â commiſſo præſcripto errore, quare cum appetitus penitus ablatus ſit & totum corpus male ſe habeat, mox capiet ſequens ſudoriferum.

℞. Spec. Diaſcord. ℈ij.
Pulv. Rad. Oſtrutii ℈j.
Sal. Mixti gr. xv.
Volat. C. Cerv. gr. x.
Croci gr. vj.
Infus. Card. Bened. & Centaur. ℥ij.
Tinctur. noſtr. Hypnotic. ℥ß.
MS. F. Hauſtus.

23. Ab aſſumpto ſudorifero egregiè ſudavit, eſtque languida, & admodum indignabunda ſuper ancillæ incuria, quæ ipſi cauſa tantæ recidivæ. Pro Cardiaco aſſumet ſcutellam dulciculæ potionis. Hac veſpera parum cœnabit. Proficit in melius.

24. Hac nocte bis dejecit & mediocriter quievit; mane vero paroxyſmum febrilem paſſa petiit febrifugum. Hodie necdum dejecit, eſtque languida, pro prandio pa-

panem album cum jure carnium sumpsit, unde non male habuit, quare hac vespera id ipsum in cœna iterabit.

℞, Mist. nostr. Febrifug. ℥vj.

℞. Lap. Prunell· ʒij.

Proficit in melius. 25.

Hujus noctis principio paroxysmum febrilem passa est, de die autem se bene habet. 26.

Hac nocte mediocriter quievit, continuabit usum mist. febrifugæ. 27.

Proficit in melius. 28.

Levem paroxysmum passa est. 2 Decemb.

℞. Mist. nostr. Febrifugæ ℥vj.

Proficit in melius. Continuat usum mixturæ. 3.

Bene se jam habet, nec nostro magis indiget auxilio. 5.

XIV. OBSERVATIO De CASU AB ALTO.

Maartje Jans. Ancilla apud vicinum mihi mercatorem.

Hæc virgo ex loco altiori non sine lapsu graviore in terram cecidit; caput dorsumque summè dolere sentit, postquam per semihoram animo derelicta ad se rediit, mox sanguis è naribus stillans copiosè prodiit, cujus magna pars intus per oesophagum ventriculum petens, mox vomitu per os rejecta fuit; patitur hoc tempore menstruam purgationem, externa frigent; pulsus vix perceptibilis. 1689. 24. April.

Post V. S.em Ligamenta lintea quatuor applicari curavimus; nempe duo sub genubus supra suras, duo etiam supra malleolos sub ipsis suris. Partes dolentes, ut & tempora & cervicem subindè inungi curavimus sequenti, postquam applicatum fuit Suppositorium.

℞. Ol. Philosoph. ʒij.
Succin. Nigell. an. ʒj.
Lumbricor. ʒiij.
MS.

Sequens etiam interim Mistura cochleatim sumenda.

℞. Infus. ex Rub. Tinctor. ℥ß. cum
Aq. Hyssop. & Puleg. an. ℥iij. calidè extractæ.
Aq. Ciaoi ℥j. Ol. Succin. gt. x.
Sperm. Ceti ʒß.
Balz. Leucotelli ʒij.
Ocul. Cancr. pulv. ʒj.
Tinctur. Cap. Mort. Lap. Hæmatit. ʒß.
Syr. Arthemis. ℥j.
MS.

Ab usurpatis Medicamentis se longe melius habet, pulsus plenus & robustus nec non æqualis, sanguinem grumosum & pituitosum per os, fæces quoque alvinas hodie excrevit.

25. Proficit in melius, quare continuabit usum medicamentorum præscriptorum.

Quoniam magis exquisite dolores sentit, præcipue verò in capite & circa ventriculum, usurpavit sequens

℞. Opii Nostr. gr. jß.
F. Pill. j. inauretur.

℞. Tin-

℞. Tinctur. noſtr. Hypnotic. ℥iv.
Applicetur tepide.

Hac nocte mediocriter quievit, dolorque prænominatus evanuit, ſummum verò perſentit dolorem in regione lumbari. 26.

℞. Cerevis. Joppenſis. q. ſ.

℞. Balz. Peruvian. ʒß.
Copaivæ. ʒj.
MS.

Dentur ſubinde gt. ij. cum tribus quatuorve cochlearibus cerevifiæ prædictæ.

Dolor etiamnum continuat in regione lumbari, quare huic loco ſimiliter Tinctura Opiata applicetur. Loci affecti jam ſatis patent; nempe in lumbis nota ex flavo cærulea, qualis color itidem ſiniſtram oculi palpebram (quam utramque, per conſenſum ut opinor, clauſam nunc habet) tingens obſervatus eſt; Nulla adeſt febris.

Ab uſurpata Tinctura Opii dolor in lumbis evanuit, hacque nocte placide quievit. Atque ſic intra dies quatuor Dei Omnipotentis manu & auxilio denuò priſtinam ſanitatem adepta eſt. 27.

XV. Ob-

XV. OBSERVATIO De FEBRI INTERMITTENTE cum TUSSI.

Grietje Fransse vidua.

1692. 27. Novemb. Hæc sexagenaria ante aliquot tempus diu febre intermittente laboravit, postmodum in tussim & cruentam sputationem incidit, interim valde sitibunda, qualis nunc est; adhæc diarrhoea per aliquot dies afflicta poscit auxilium.

℞. Mist. nostr. Cord. ℥vj.
Tinctur. Succin.
Sulphuris an. ʒij.
Spec. Diascord. ʒj.
Sang. Dracon. ℈j.
Corall. Rubr. pp. ʒß.
Opii. nostr. gr. ij.
Syr. Papav. Errat. ℥j.

28. Eodem fere versatur in statu, quo heri, cupit hypnoticum.

Tinctur. Hypnotic. nostr. Cochl. 2.

29. Ab usurpata Tinctura optime sudavit; à tussi ferè liberata est; alvum non deposuit; nec febris nec Sanguinis Sputum huc usque redierunt.

XVI. OBSERVATIO De OBSTRUCTIONIBUS & ASTHMATE.

Arien Linteo op de Koepoorts-gracht.

Hic

Hic pituitosus ac probe asthmaticus subinde tussiendo excernit phlegmata crassa. 1693. 12. Maij.

℞. Aq. Menth. Hyssop. an. ℥iij.
Tinctur. Croci. ʒj.
Hypnotic. nostr. ℥j.
Tartari ʒiij.
Ocul. Cancr. pulv. ʒj.
Rad. Ireas Fl. pulverisat ʒß.
Flor. Benzoin. gr. xv.
Sal. C. Cervi ℈j.
Balz. Sulph. Anisat. gr. vj.
Syr. Papav. Errat. ℥j.
MS.

℞. Elix. Salutis nostr. ℥ij. 14.
pro dosi.

Ab usurpatis his medicamentis jam optime se habet.

Hic denuo tussi laborat, urina tenuis & clara, colore citrino tincta ut nuper, cum post usum misturæ calculum per urethram excrevit. Post purgatum corpus utetur sequenti misturâ. 26. August.

℞. Pill. nostr. Nobil. No. v.

℞. Mist. nostr. deobstruent.
aq. Cordial. an. ℥x.
Salis Circulat. Paracels. ʒiij.
Tinctura Silicum ℥j.
Aq. Ciaoi ℥ß.
Mell. despumat. q. s.
Ms.

Proficit in melius.

XVII. OBSERVATIO De PUERPERA GRAVITER ÆGROTANTE.

Uxor Roelof van Rÿssel Stoovmaker.

1696. 2. Mey Hæc ab 8. diebus puerpera graviter decumbit, estque extremè debilis, præscripsi Cardiacum seq.

℞. Spir. nost. Cardiac. ℥v.
Tinct. nostr. Card. seu Gran. Kerm. compos. ℥j.
Aq. Prophylact. ℥ß.
Corall. Rubr. pp.
Oc. Cancr. pulv. an. ℈ij.
Syr. Limon. ℥j.
MS.

3. Hodie mane meliuscule se habuit ab usurpata mixtura, & quasi ad se rediit.

Circa vesperam denuò quasi amens & agonizans.

4. Eodem in statu quo heri à me inventa est.

5. Hac nocte morbo victas dedit manus, atque ad plures abiit.

XVIII. OBSERVATIO De FEBRI CONTINUA cum EXACERBATIONIBUS.

Benjamin Maaswÿk Vitriarius.

1692. 9. Octob. Hic febri continua cum exacerbationibus laborat.

℞. Mistur. Nostr. Cord.
Nostr. Febrifug. an. ℥v.

Sal.

Sal. Volat. Aromat gr. L.
Spec. Diascord. ʒj.
Mell. Despum. q. s.
MS.

Hac nocte mediocriter quievit, valdè sudavit, proficitque in melius. 10.

Iteretur mistura heri præscripta.

Hac nocte se levius habuit, hodieque sanguinem emisit è naribus, unde caput valde levatum fuit; continuabit usum Mixturæ. 11.

Iteretur Mixt. 9. Octob. præscripta.

A potu cerevisiæ frigidæ pejus hodiè habuit; usurpabit mox mixturam, & ne noctem insomnem agat capiet pilulam ex Opii. Nostr. gr j.

Hesterna vespera aphthæ sese manifestarunt circa fauces; sed quoniam febris remisit in melius proficit. 12.

℞. Aq. Rosar ℥v.
Sach. canth. alb. ʒvj.
Vitell. Ovi N°. j.
MS. F. Collutio oris.

Quacum sæpe colluat os & fauces.

Jam febris planè est expers, & aphthæ frustulatim decidunt. 13.

Proficit in melius, atque his paucis à me curatus est. 14.

XIX. OBSERVATIO De FEBRI CONTINUA REMITTENTE.

Maartje Fransse uxor Joannis Visser Cæmentarii.

1692. 20. August. Hæc fœmina per aliquot ſeptimanas ægrotavit, laboratque febri continua remittente, ſed cum tantillo frigoris exacerbante: ſitis & vigiliæ utcunque infeſtant, alvus quoque ſegnior, poſt purgatum corpus utetur febrifugum.

℞. Extr. noſtr. Cathol. gr. viij.
F. Pill. No. ij. Inargententur.

℞. Miſtur. noſtr. Febrifug. compl. ℥vi.
Doſ. Cochlearia ij. ſingulis bihoriis.

21. Hæc proficit in melius, optime ſe habet de pillulis; continuabit uſum miſturæ, quæ ipſi valdè placet.

22. Hac nocte propter paroxiſmum febrilem non bene quievit, evacuabit porro miſturam, & ne noctem inſomnem agat uſurpabit Tincturæ noſtr. Anodin. cochl. j.

23. Hac nocte mediocriter quievit; aphthæ ſe in conſpectum præbent. Præſcripſi decoctum ficuum, & quoniam evacuata eſt mixtura, iteretur miſt. 20. præſcripta.

Prætereait erentur. Pill. 20. præſcriptæ.

24. Proficit in melius, quoad omnia ſymptomata.
Aphthæ feliciter prodeunt.

25. Eodem ferè verſatur in ſtatu.

℞. Opii noſtr. gr. j. F. Pill. No. j.
inauretur.

26. Hodie aſſumet unam pilulam purgantem, ſiquidem alvum non depoſuit.

27. Ab aſſumpta pilula duas ſedes habuit & proficit in melius.

28. Proficit in melius.

℞. Ex-

♃. Extr. noſtr. Cathol. gr. viij. F. Pill. N°. ij. inargent. 30.

Quibus rectè purgata optimam valetudinem conſecuta fuit.

XX. OBSERVATIO De DEBILITATE.

Uxor Iſaaci Schuddemat textoris lanarii.

Hæc fœmina per totum corpus ſentit laſſitudinem; eſtque debilis; urina eſt tenuis & rubra ſine ſedimento. 1693. 10. July.

♃. Infuſ. Fol. Theæ. ℥v.
Tinctur. noſtr. Card. ℥j. Croci ʒij.
Spiritus. ejusd. ℥ß.
Pulv. Rad. Contraijerv. ʒj.
Regul. Ant. Medicinal. ʒß.
Julap. Roſat. ʒvj.
MS.

Ab uſurpato lactis ſero ſtrenuè bis dejecit; poſtea à mixtura optimè ſudavit; jam ſitis & laſſitudo ipſam infeſtant. 11.

Iteretur mixtura, addenda.
Tincturæ noſtr. Hypnotic. ℥j.

Ab uſurpatis his medicamentis multum proficit, & poſtea brevi convaluit. 12.

XXI. OBSERVATIO Dè FEBRI QUOTIDIANA.

Mary Teunis.

Hæc virgo febre intermittente laborat quotidiana, ac- 1693. 21. Septemb.

cedit paroxyſmus cum frigore per quatuor horas durante; præterea alvum habet aſtrictiorem.

♃. Maſſ. Pill. noſtr. Catholic. gr. xv.
F. Pill. No. v. inargent.

Porrò
♃. Miſt. noſtr. Cordial. ℥vj.
Sumat cochleatim.

Atque hujus operatione ſalubri citò convaluit.

XXII. OBSERVATIO Dè ARDORE LINGUÆ & NIMIIS VIGILIIS.

Annetje Joris op de Zÿt-graft.

1691. 8. Novemb. Hæc fœmina ſummum in lingua patitur ardorem, ac noctes inſomnes agit.

♃. Lap. Prunell. ʒij.
♃. Laud. Opiat. gr ij.
F. Pill. No. ij. inaurentur.

9. dito. Benè ſe habet ab uſurpatis medicamentis.
11. Proficit in melius; uſurpabit Cardiacum.

♃. Miſt. noſtr. Cordial. ℥vj.

12. Non malè ſe habet à miſtura; ſed his pauciſſimis confeſtim ſanata fuit.

XXIII. OBSERVATIO Dè CAPITIS & PRÆCORDIORUM DOLORE.

Hendrik van Schagen lanifex.

Hic

Hic juvenis patitur capitis & præcordiorum dolorem, 1692. 8. Juny.
alvus naturali segnior, post purgatum corpus usurpabit
febrifugum.

℞. Mass. Pill. nostr purgant. ℈j.
F. Pill. N°. v. inargent.

Ab assumptis pilulis optimè est purgatus.

Hac nocte mediocriter quievit & dolores sedati ilico
sunt, postquam hesterna vespera pilulam Opii nostri as- 9.
sumsisset.

℞. Mist. nostr. Febrifug. ℥x. 10.
Sumat quater in die cochlearia tria.

Ab ritè assumpta mixtura diu multumque sudavit. 11.

Longè proficit in melius adversaque valetudine jam
haud parum levatus est. 12.

XXIV. OBSERVATIO De ICTERO cum FEBRICULA CONTINUA.

Pieter Karelse textor lanarius.

Hic Ictericus fit, simulque febriculam continuam pa- 1692. 13. April.
titur & appetitum prostratum. Alvus (quod alioquin
in hoc affectu admodum infrequens) naturali laxior.

℞. Decoct. Nostr. ex Lignis
Radicibusque lignescentibus mediante
spirituoso menstruo ℔ iv.
Salis Mixti ℈iv.
Spir. Nitr. Dulc. ʒij.
Træ Purgant. Aur. nostr. ʒiij.

Rob.

Rob· noſtr. ℥ij.

MS. Doſ. ℥iv. quas ter 4ve in die calidè apud focum vel potius in lecto probè contectus exhauriet.

14. Urinæ, quæ antea ſedimento carebant, incipiunt ſedimentum continere; continuabit uſum decocti, à quo multum & cum levamine ſudavit.

17. Parum à morbo recreatus videtur, & quoniam evacuatum eſt, nec diſplicet ægro Decoctum;

Iteretur Decoctum præſcriptum.

22. Reiteretur Decoctum.

30. Siquidem ex incuria, & partim propter negotia, decoctum non aſſumpſit, jam pejus habet; optat aliud, ſed minori quantitate medicamentum, ſuique meliorem curam habebit.

℞. Spir. Nitr. Dulc. ℥ß.
Lap. Prunell.
Sal. mixt. an. ʒj.
Tinct. Purgant. Aur.
Metallorum an. ʒij.
Infuſ. Theæ ℥vj.
Miſt. Cordial. ℥xv.
Mell. Deſpumat ℥jß.
MS.

Proficit in melius.

Iteretur mixtura 30. præſcripta.

7. Mey. Præſcriptis hiſce & pariter dextrè uſurpatis remediis omninò liber & ſanus evaſit, & recte jam valet.

30.

XXV. OB.

XXV. OBSERVATIO De ODONTALGIA & OTALGIA cum FEBRICULA.

A. V. M. Juvenis Amſtelodamenſis, tyro apud honeſtiſſ. mercatorem. I. N.

Hic juvenis patitur odontalgiam & otalgiam, ſentit in auribus inconditum murmur quod ipſi vix permittat ullum ſomnum; hodiè ab aſſumpto purgante quater dejecit laboratque pervigiliis & febricula lenta. 1694. 9. Maji.

℞. Mixtur. noſtr. diaphoret. & anodin ℥vj.
Syr. Papav. Alb. ʒv. MS.
& ſumat cochleatim.

℞. Tinctur. Hypnotic. ℥iij.

Excipiatur linteo & imponatur calidè.

℞. Ol. Noſtr. Heracl. ſeu empireumatici Tabaci g^t. iij. Stillentur in goſſipium intrudanturque in dentem excavatum.

Jam melius ſe habet. 10.
Iteretur mixtura.
Proficit in melius. 11.
Etiamnum laborat Otalgia. Ab uſu tamen miſturæ 12.
dolor paulatim atteritur; quæ propterea iteretur.

℞. Spir. Sal. Ammoniac. ʒij. Matrical Burry ʒj.
Ol. origani g^t. iij.
MS. Indatur tepidè auri cum bombace.

Quibus legitimè uſurpatis brevi ſanus evaſit.

XXVI. OBSERVATIO De VENTRIS DOLORE &c.

Aaltje Ians in de Zeeger-ſteeg.

1691. 23. Novemb. Hæc vetula graviter decumbit ventriſque patitur dolorem, quem cum manu premit, ſub hepate percipit pulſationem. Alvum habet aſtrictiorem; vertiginoſa eſt; linguam fauceſque habens aridas pervigilioque laborans; phlegmata ſunt tenacia; ſubindè flatum ſed cum difficultate excernit, cumque ſiti intolerabili febrim hæc miſella ſufferre cernitur.

♃. Elect. lenitiv. Borrii ℥ß. pro bolo laxante.

♃. Tinctur. Hypnotic. noſtr. ℨiij. pro epithemate.

♃. Opii noſtr. gr. jß. F. Pill. Pro ſomno conciliando

♃. Lap. Prunell. ℨij. Pro ſiti in cereviſia.

24. Hac nocte ab adhibitis medicamentis benè quievit, ac quantum ad omnia Symptomata melius habet; cupit hypnoticum.

Iteretur Pill. heri præſcripta.

25. Ab aſſumpta pilula placidè quievit, ac jam ſudore madet.

Manè hauſit duas pilulas purgantes: unde quatuor ſedes citæ.

26. Vires ob ſudorem & receſſum paulo ſunt debiliores, & quoniam circa meridiem accedit paroxyſmus febrilis cum frigore, hoc mane inchoabit uſum miſturæ ſequentis cochleatim.

♃. Mi-

℞. Mistur. nostr. Cordial ℥iv.
Antifebril ℥ij.
Salis Circulat. Paracelſ. ʒij.
Spec. Diaſcord. ʒj.
Regul. Ant. medicinal. ʒß.
Aq. Theriacal. Ciaoi an. ℥ß.
Syr. Papav. Alb. ℥ß.
MS.

Hac veſpera necdum acceſſit paroxyſmus febrilis.

Hac tota nocte febrilis paxoxyſmus ipſam torſit. Alvus mota manet. 27.

Hodie tamen ſe benè habet; proficitque in melius.

℞. Miſt. noſtr. Deobſtr. ℥vi. 30.
Aq. Ciaoi ℥ß.
Salis Eſſentialis Menthæ ʒß.
Spir. Sal. Ammoniac. ʒiij.
Mell. Deſpumat. q. ſ.

Per quæ remedia curata ſibique reſtituta fuit.

XXVII. OBSERVATIO De AURIUM SURDITATE & TINNITU.

Antonius van Beek Aromatarius.

Hic dudum aurium ſurditate cum tinnitu ad ſingulos arteriarum pulſus ſonoro comitante laboravit. Obſtructiones ex cauſa frigida reſerandæ, corpore nihilominus antea rite purgato. 1693. 5. Novemb.

Poſt fumigationem ex Succino, Maſtich. &c. uſurpabit ſequentia.

 ℞. Maſſ.

℞. Maſſ. Pill. noſtr. Nobil. ℈iv.
F. Pill. No. xvj. Inargentur.
Doſ. iij. iv. v. bis in ſeptimana.

℞. Miſt. noſtr. Reg. ℥xv.
Deobſtr. ℥x.
Sal. Card. ben. ʒiß.
Tinctur. Purg. Aur. ʒiij.
Mell. deſpumat. q. ſ.
MS. Sumat ter in die vacuo ventriculo duo cochlearia.

℞. Miſtur. Prædict. ℥jß.
Sal. Circulat. Paracelſ. q. ſ.
Ol. Origan. gt. v.
MS. F. Linimentum, cui calefactæ intingantur turundæ auribus intrudendæ,

15. 21. Martii A præſcriptis medicamentis melius habet.
Jam verò elapſis quatuor menſibus iterum recidivam patitur.
Iterentur igitur Miſt. Liniment. & Pill.
5. Novemb. præſcripta.

29. April. Ab uſurpatis remediis jam denuò rectius habet & perfectè reſtitutus eſt.

XXVIII. OBSERVATIO De GRAVITER DECUMBENTE.

Heiltje Moer Obſtetrix.

1692. 2. Juny. Hæc fœmina jam 5 diebus graviter decumbit cum doloribus oſtocopis, eſtque valdè debilis.

℞. Pill.

℞. Pill. noſtr. Nobil. N$_{o}$. iv. inaurentur
pro duabus Doſibus.

℞. Liniment. noſtr. deobſtr. ℥ij. quo inungantur
partes dolorificæ.

Ab aſſumpt. Pill. quinquies dejecit, aphthæ prorum- 3.
punt.

℞. Mixtur. noſtr. Cordial. ℥vij.
Mell. Deſpum. q. ſ.
MS. Sumat cochleatim.

℞. Laud. Opiat. noſtr. gr. ß. F. Pill. inauretur.

In eodem fermè ſtatu permanet. 4.

℞. Lap. Prunell. ʒij. pro ſiti.

Hac nocte graviter fuit afflicta, nequit dormire. 5.
Iteretur mixtur. 3. præſcripta.

℞. Tinctur. Hypnotic. noſtr. ℥ijß.

Cum linteamine huic intincto calidè applica.

Parum quievit: vix interim proficit. Continuabit in uſu medicamentorum.

Eryſipelati laborat circa brachium dextrum, videtur- 6.
que parum proficere; alvus ſatis laxa; continuabit cum
miſtura. 7.

℞. Laud. noſtri Opiat. gr. j. f. Pill. inaurata.

Hac nocte bene quievit, ſed manè denuò affligitur; 8.
hodie Pill. j. aſſumet purgantem.
Iterentur Pill. 2. præſcriptæ.

Ob brachii dolorem ab eryſipelate non quievit, totum enim intumuit, atque in exulcerationem abire videtur.

Chirurgus applicabit Cataplaſma leniens.

Iteretur Pill. 8. præſcripta.

9. Utcunque meliuſcule ſeſe habet, idcirco quia hic parcendum eſt ſumptibus, quod faciendum reſtat Chirurgo tradidimus, qui mihi poſtea narravit ſe abſceſſum ſcalpello aperuiſſe copioſumque pus ex eo effluxiſſe; vulnus poſtea feliciter conſolidavit illaque ſana evaſit.

XXIX. OBSERVATIO De VARIOLIS.

I. L. F. Filius vicini Mercatoris decennis.

1696. 14. Sept. Huic ſomnolento per biduum variolæ prorumpere incipiunt. Præter decoctum ficuum & prunorum cum cereviſia tenui pro potu præſcripſi ſeq. ad fermentationem in ſanguine augendam.

℞. Miſt. aq. Cord. ℥v.
Balz. de Copaiv. ℈ß.
Spir. Sal. Ammoniac.
Salis mixti an. ʒß.
Tinctur. Croci ʒj.
Mell. albiſſ. ʒß.
MS. detur Cochleatim 6.es in die

15. Heſterna veſpera vertiginoſus videbatur, poſtquam autem alvum depoſuiſſet melius habuit, continuoque ſudavit. Variolæ magis ac magis prorumpunt.

16. Continuabit uſum præſcript. miſturæ.
Siquidem multum profecit à miſtura evacuata,

Iteretur miſtura 14. præſcripta.

19. Optimè prodeunt variolæ; verum quia palpebræ hinc clau-

clausæ tenentur, ac visui prohibetur, quem recipiat; utatur sequenti.

℞. Aq. Cordial. ℥iij.
Tinct. Theriac. ʒj.
MS.

Hoc sæpius tingantur palpebræ oculorum.

Hic parvulus denuo morbidus ex abundantia pituitæ ac de novo prorumpentibus morbillis. 2. Decemb.

℞. Mistur. 14. Sept. præscriptam.

℞. Aq. Cordial. ℥ij. Spir. Sal. Ammoniac. ʒij.
Ol. Origan. gt. iij. Cortic. Arant. gt. v.
Julap Rosat. ℥β.
MS. præbeantur sæpe ad guttas xx. vel xxx. in haustulo cerevisiæ.

Quibus morbus ad declinationem & finem paucis postea diebus pervenit. 4.

XXX. OBSERVATIO De NEPHRITIDE.

Willem Leopoldus Caupo.

Hic graviter decumbit: nephriticus & forsan calculosus est; de summis quæritur doloribus, qui à rene sinistro ad pubem usque secundum longitudinem ureteris exporriguntur; præterea valdè nauseabundus; vix quicquam admittit stomachus, quin mox reddat per vomitum; noctes agit insomnes, cogitur una hora 15. vel 16.es urinam paucam & viscidam summis cum doloribus emittere. 1691. 13. Augusti.

Huic

Huic ſtatim injici curavi Clyſterem ex oleoſis & therebinthinatis.

℞. Elix. noſtr. Salutis ℥ij.

℞. Opii noſtr. gr. ij. F. Pill. Inauretur.

14. A Clyſtere protinus ter; ab Elixire poſtea adhuc quater dejecit. A pilula placidè dormivit. Meliuſcule jam ſe habet.

℞. Miſt. noſtr. Antinephritic. ℥xij.
Tinct. Anodyn. ℥j.
Ol. Cort. Arant. Citri. an. gt. x.
Balz. Copaiv. ℈ij.
Gum. Ceraſor. in vino Canarin. Solut. ℥ß.
Tart. Vitriolati.
Sal. Stipit. Fabar. an. ʒß.
Prunell. ʒj.
Spir. Sal. Ammoniac. Arom. ʒij.
Mell. Albiſſ. q. ſ.
MS.

16. Ab uſurpata miſtura dolores ſibi ex lumbis totoque abdomine quaſi avelli ſenſit; craſſas urinas minxit, & à dolore liberatus jam prorſus convaluit.

XXXI. OBSERVATIO De MORBO CASTRENSI.

Johannes de Groot Miles, poſt famoſam Namurci expugnationem redux.

1695. 20. Auguſti. Hic miles morbo caſtrenſi laborat paſſus in oppugnatio-

tione & in itinere varia incommoda, ex perversa diætâ, inclementia coeli, sordibus vestium & decubitus &c. Febricitat & nauseabundus est, continuo ferè magnâ copiâ pituitosa ac biliosa per os excernit, alvo adstrictiore existente; sitis vehemens; urinæ vix ulla excretio; pervigilium &c.

℞. Pill. nostr. Cathol. ℈j. F. Pill. No. v.

℞. Mixtur. nostr. Diaph. & Antifebril. ℥v.
Adde Mell. Despum. ℥ß.
MS.

Ab assumptis 5. pilulis laudabiles sedes habuit, & nausea utcunque sublata est. 21.

A mixtura hac nocte benè sudavit & multum levatus est.

Iteretur mixtura. 22.

Ad sitim verò. ℞. Sal. Prunell. ʒij.

Multum proficit in melius; mitiorem passus est paroxismum febrilem; vomitus penitus evanuit; alvum habet laxam; sitis valdè imminuta; largiter mingit & modicè dormit; sed appetitus manet prostratus. 23.

℞. Tinctur. nostr. purgant. Aur. ℥j. 24.
Julap. Rosat. ʒij.
MS. pro dosi.

℞. Elix. pp. Par.
Tinctur. Absint. an. ℥ß.
Spir. Sal. Ammon. Aromat. ʒij.
Ol. Menth. gt. vj.
MS.

28. Ab usurpatâ Tincturâ multum solutus fuit. Ab usu alterius medicamenti adeò revixit appetitus, ut jam jentaculum pro medicamento cupiat.

XXXII. OBSERVATIO De FEBRI QUARTANA & SCORBUTO.

Geertje Poelgeest soror uxoris magistri Petri van Abeele Cæmentarii.

1692. 5. Novemb. Hæc 30. annorum virgo ab aliquot annis egit vitam valetudinariam, inpræsentiarum verò scorbuto & febre quartana intermittente laborat, & maculæ lividæ diffunduntur hic illic per corpus, hodieque dum paroxysmum patitur (cum frigore accedentem insequente postmodum calore intenso) aliquoties animo deficere visa est.

♃. Mist. Nostr. Cord. ℥v.
Spir. Nitr. Dulc. gt. xx.
Volat. Aromat. xv.
Aq. Ciaoi ℥ß.
Tinct. Rob. Nostr. ℥j.
Lap. Prunell. ʒj.
Syr. Papav. Erratici ʒvj.
MS.

Usurpabit cochleatim singulis bihoriis.

♃. Laud. Opiat. nostr. gr. ij.
F. Pill. No. ij. Inaurentur pro duabus dosibus.

6. Hac nocte ab assumpta pilula placidè quievit, sudavit, nec

nec ullum incommodum paſſa, hodiè ſe multo melius habet; pro prandio ipſi inſerviet ovum ſorbile; cras verò data occaſione aſſumet tres pilulas Catholicas noſtras.

A pilulis alvus mota dejecitque ſeroſa multa & pitui- 7.
toſa, & quoniam cras eſt dies febrilis, cochleatim uſurpabit ſequens.

℞. Miſtur. noſtr. ſtomach. ℥viij.
Aq. Ciaoi,
Mann. Calabrin. an. ℥j.
Spir. Sal. Ammoniac. ʒj.
MS.

A præſcripta miſtura ad melius in dies vergit, quare 13.
eam iterabimus. Repetatur miſtura 7. præſcripta.

Hac ſeptimana, ſiquidem in publicum prodiit, ex 22.
frigore quod paſſa eſt in tuſſim incidit, idcircò præſcripſi ſuffitum; ne autem noctem agat inſomnem cupit hypnoticum.

℞. Opii noſtr. gr. iij.
F. Pill. No. ij. Inaurentur.

Ab uſurpatis medicamentis denuo rectius habet.
Iterentur Pill. Hypnoticæ 22. præſcriptæ. 24.

Proficit paulatim in melius, integramque curationem bre- 27.
vi ſubſequuturam jam porro ſperamus.

Quia ſibi non cavit ab aere externo, graviores pati- 6.
tur paroxyſmos.

℞. Miſt. febrifug. ℥vj.

Hodie denuò paroxyſmum præcedenti non minorem pati- 9.
tur.

Paulo melius habet & valde levem heri paroxyſmum 13.
paſſa eſt.

℞. Pulv. noſtr. Antifebril. ʒj.

Sumat cum hauſtu vini Hiſpanici ſeſqui hora ante paroxyſmum.

16. Heri febrem non habuit. Multum profecit in melius.
24. A febre immunis atque à ſcorbuto multum liberata jam recte valet.

XXXIII. OBSERVATIO De MORBO FRIGIDO ex INGLUVIE.

Maria N. N. Filia defuncti mercatoris, jam pupilla & vivens apud vicinum noſtrum. N. H.

1691. 12. Augusti. Hæc puella jam à 14 diebus laboravit morbo frigido ex ingluvie nimia fructuum horariorum; accedentibus aëris tempeſtate ac injuriis externis; proclivis eſt in ſomnum, proſtratum habet appetitum, fæces inſtar globulorum excernit; pulſus ac urina patientis debilitatem innuunt; ſcatet corpus pituita viſcida, obſtructionibus flatibuſque inde ortis; nec forſan ab lumbricis immunis eſt.

℞. Miſtur. Carm. & Deobſtr. ℥vj.
Detur cum melle deſpumato cochleatim.
℞. Liniment. noſtr. Deobſtr. ℥j. quo inungatur ventriculus & abdomen circa umbilicum.

Mox ab aſſumpta mixtura rectius habuit; à Linimento alvus multum ſoluta eſt; in excrementis fruſtula vermium putrefacta in ſat magna copia conſpici poſſunt. Atque hiſce paucis citiſſime convaluit, & ita curata eſt, ut aliis remediis non indiguerit.

XXXIV. OB-

XXXIV. OBSERVATIO De FEBRI CONTINUA IN PUERO.

Filius Henrici Dardeine Lanarii.

Hic 9. aut 10. annorum puer post ingens toleratum frigus & alia incommoda febri continua corripitur; fauces & lingua ariditate crepant; pectus ac reliquum corpus scatet obstructionibus, sitis ingens, appetitus dejectus; urina crassa tincturæ guttæ gemou simillima, per 6. dies fere nihil cibi sumpsit. 1693. 6. Januarii.

♃. Mistur. Cordial. & Antifebril. nostr. ℥vj.

♃. Sal. Prunell. ʒij. in potu.

♃. Liniment. Deobstr. nostr. ℥j.

Ab hisce præscriptis riteque usurpatis remediis utcunque se melius habet: sed quoniam hujus misellì parentes æris inopes atque ex eorum numero sunt, quibus nil reliqui quam fatis tristibus angi; intereá mihi, utpote privato Medico, non semper allubescit nimiumque etiam incommodum foret, quotidie eroganda medicamenta gratuitis visitationibus auctarii loco adhuc superaddere, pauperculo huic, (uti jam passim apud plebeculam fieri consuevit) cum Praxeos Medicæ tœdio & extrema in adeò ærumnosos miseratione, valedicere cogor.

XXXV. OBSERVATIO De ALVI FLUXU & DEBILITATE.

Honestissima matrona uxor Pauli Gillot Equisonis.

Hæc fœmina à tribus mensibus prægnans, valde debilis ex nimio alvi fluxu & appetitu dejecto pervigilioque; an- 1691. 10. Febr.

te duas septimanas primum laborare cepit diarrhoea, mox dysenteria; valde aversatur medicamenta. Præscripsi diætam convenientem, atque ex culina scriblitam ex duobus ovis conquassatis, s. q. lactis dulcis cum tantillo butyri, & s. q. sachari & cinamomi una cum biscocto tenuissime trito confectam, quæ in scutella stannea cum simili operculo imponatur prunis, donec consistentiam debitam acquirat. Hac scriblita vescatur, & si placet repetatur.

℞. Opii nostr. gr iv. F. Pill. No iv. Inaurentur.
Pro tribus dosibus.

℞. Miv. Cydonior. Conserv. Rosar. Rubr. an. ℥j.
Spec. Diascord. absque Galb. & Gent. ʒj. Corall. Rubr. pp. ℈ij.
Ol. Ciaoi. gt. iv. Vitriol. q. s. ad gratam acidit. F Conditum. Atque his solis paucis diebus ad sanitatem rediit.

XXXVI. OBSERVATIO De UTERI SUFFOCATIONE.

De Vrouw van Jan Pieterse, qui è regione ædium nostrarum lac vendebat.

1691. 8. Maji. Hæc fœmina hesterna vespera suffocatione uterina, vel (quod quibusdam magis arridet) hypochondriaca, seu quoque (quod & mihi magis placet) convulsione & quasi spasmo musculorum abdominis, tam vehementer fuit pressa, ut jam jam vitam cum morte commutare videretur, hodieque necdum liberata, quamvis alio Medico usa, sed ejus consilio ac medicamentis parum hactenus profecerit. Itaque.

℞. Spir.

♃. Spir. Sal. Ammoniac. cum Calce viv. Destillat. ʒj.
Ol. Succin. gr. xx.
MS. in phiala angusti colli, & valide conquassata admoveantur ilicò & sæpe naribus.

♃. Aq. Spirituos. Cort. Arant. ℥iv.
Spir. Carminativ. ℥j.
Tinctur. Metallor. ʒij.
Purgant. Aur. nost. Castor. an. ʒj.
Spir. Sal. Ammoniac. Arom. gr. xL.
Ocul. Cancr. pulv. ʒj. Sal. Volat. Succin. ℈ß.
Syr. Arthemis. ℥ß.
MS. sumat cochleatim, sensim videlicet in ejus os fundatur.

℞. Liniment. deobstr. nostr. ℥ß.
Quo inungantur cervix ac tempora, nares, hypochondria & abdomen aliquoties manu calida.

Atque hæc omnia mirum in modum ipsi profuerunt discussisque molestissimis symptomatis paroxysmus plane solutus est. Ne autem hic affectus postea iterum redeat, & per intervalla repetatur, devoret sequentes pilulas per integrum mensem semel in hebdomade reiterandas.

℞. Mass. Pill. Cathol. nostr. gr. xviii.
Mercur. Dulc. gr. v. Ol. succ. gr. iij.
F. Pill. N° vij. involvantur lunæ & devorentur cras mane.

Hodie necdum dejecit, inclinato licet in postmeridianum tempus die, ob errorem in diæta, & quoniam dolor capitis tam vehemens ipsam occupat absque febri, applicabitur sequens ad tempora. 9.

℞. Tinct. Opii nostr. q. s.
Cum linteis in ea madefactis applicetur.

Hac nocte parum quievit, quoniam assumptæ mane pilulæ suam tarditatem nocte intempesta validiori opera- 10.

tio-

tione compensarunt; ita ut multum soluta fuerit, & protinus rectius habuerit.

Sed jam harum historiolarum medicarum, quarum numerus præter propositum excrevit, est satis. Si hæc repotia neminem offendant, & JEHOVÆ nobis ulterius vitam sanitatem ac ocium largiri placeat, oportuniori tempore ex professo aliquot magis singulares haud quotidie obvios atque rariores tersioriqu e ac observationum Autoribus solito ordine dispositos ac extensos, (descriptione videlicet affectarum partium, causarum tam procatarcticarum quam antecedentium & continentium, symptomatum, prognosis, indicationis &c.) quam hos vulgatissimos breves ac leves, morborum casus ex nostris annotationum libellis apponemus.

Tandem DEO T. O. M. pro Divinitus mihi in absolvendis his pagellis concessa gratia debitas devotasque grates persolvo: Tu autem benevole Lector, si quæ σφάλματα in res vel verba irrepserint, ignosce, quippe non omnia possumus omnes, & velle suum cuique est, nec gustu vivitur uno. Alioquin.

Si quid novisti rectius istis,
Candidus imperti, si non, his utere mecum.

F I N I S.

IN-

INDEX RERUM.

 stuosa

C.

quo-

Me-

Qui-

FINIS.